Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
86 H 16




Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
86 H 16

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
86 H 16



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
86 H 16



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
86 H 16



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
86 H 16

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
86 H 16

MicroChamber ®
Beschermd
KB

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
86 H 16

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
86 H 16

~~XX A 65~~
KW 86 H 16

PETRI BERTII

HYMENÆVS DESERTOR.

ſiue

De Sanctorum Apoſtaſia

Problemata duo.

1 *An fieri poſsit vt juſtus deſerat juſtitiam ſuam?*

2 *An quæ deſeritur fuerit vera juſtitia?*



LVGDVNI BATAVORVM,
Ex Officina Ioannis Patij, Academiæ Typographi. Anno 1601.

Koninklijke Bibliotheek te 's Hage.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
86 H 16

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
86 H 16

REVERENDIS

Pietate, eruditione, prudentiâ conſpicuis viris, Paſtoribus & Doctoribus Eccleſiæ Chriſti in Germaniâ, Galliâ, Britanniâ, Hungariâ, Bohemiâ, Daniâ, Poloniâ, Sueciâ, &c. ſub Imperatore, Regibus, Principibus, alijſque Europæ Rebusp. fidem Jeſu Chriſti ſecundum Euangelium profitentibus,

PETRVS BERTIVS ſeruus Ieſu Chriſti S. D.

OFfero vobis, fratres & Domini honorandi, ea quæ ex ſcripturis diuinis DE APOSTASIA SANCTORVM ad Chriſti gloriam & conſcientiæ meæ exonerationẽ notaui eo tempore, quo me & communis neceſſitas coëgit aliorũ in vtramque partem de hoc capite audire diſputationes, & propria compulit vocatio, ob injunctam ſcripturæ ſacræ Analyſin, aliquid in alterutram partem definire. Non dicam, quam lentè, quam ſollicitè id factum a me ſit: hoc vnum dicam, expreſſiſſe id manifeſtam veritatis vim, permiſiſſe verò tum Academiæ conſuetudinem, tum auitam, neque ad huc extortam nobis Chriſti gratia & Ill. DD. Ordinum benignitate Eccleſiarum noſtrarum libertatem. Hoc autem omne vt vobis inſcriberem, effecerunt iſta. Primùm, vocatio communis: ſumus enim, licet diſjuncti corporibus, tamen per vnum ſpiritum coag-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
86 H 16

ferretur in miniſterio quiſquam, certè nemo admitteretur ad illud, niſi qui diceret,

1 *Solis illis gratiam a Deo dari, qui abſoluto & incondicionato decreto a Deo eſſent ad vitam electi, cæteris verò non dari,*

2 *Et dari illis per vim quandam irreſiſtibilem,*

3 *Ita vt ſemel accepta nunquam poſteà rejici aut excludi poſſent,*

Tamen quũ ſententias iſtas judicarẽ & ſacris ſcripturis, & naturæ Deï, & bonis moribus, præſertim ſi admodum vrgerentur, inimicas; reſpondi pro tempore ea quæ veritati conſona eſſe exiſtimabam. Et feci hoc ad Deï gloriam, inuitante me genio libertatis; feci prouocatus a fratribus, in Eccleſiâ veritatis indagatrice, in Batauiâ, denique in Academiâ illâ, in qua & olim dogmata illa oppugnata memineram, & tunc temporis a Doctore Arminio, inuicto atq; imperterrito veritatis adſertore, ſummâ cum dexteritate quotidie oppugnari ſciebam. Obuerſabantur animo meo ſcripturæ dicta,

1 *Chriſtus eſt propitiatio pro peccatis noſtris, nec pro noſtris ſolùm, ſed etiam pro totius mundi peccatis.* 1. Ioan. II. 2. *Quiſquis crediderit ſaluabitur.* Matth. XXVIII.

2 *Hodie ſi vocem ejus audiueritis, ne obdurate corda veſtra. Videte nequando ſit in vllo veſtrûm cor malũ, incredulum. Non profuit illis ſermo, vt qui non fuerit contemperatus fide apud illos qui audierant.* Hebr. III. & IV.

3 *Si juſtus deſeruerit juſtitiam ſuam & fecerit iniquitatem, etiam morietur in ipſâ.* Ezech. XXXIII. 18. *Nos Chriſti conſortes facti ſumus, ſi modò principium illud quo ſuſtentamur, firmum retinuerimus ad finem vſque.* Heb. II. 14.

Iſtorum ergo oraculorum ductu reſpondi ad quæſtiones deſtinctè. Atque hæc quidem tunc acta. Haud multò poſt ſenſi me ingenuâ illa veritatis profeſſione plauſtrum, quod aiunt, perculiſſe: idque per cuniculos a quibuſdam, quos tamen ea res minimè decebat, agi, vt qui anteà domi foriſque non malè audiebam, ſubitò honore omni & famâ exutus, publico etiam quod ſuſtinebam munere indignus indicarer. Gratias ago tibi Domine Ieſu, quod me pro tuo nomine aliquid etiam pati volueris. Tantum verò abfuit, vt ea res animum mihi exſpectorauerit, aut debilitauerit induſtriã, vt contra potius diligentiam accenderit precum, lectionis, meditationis. Itaque quæ jam ante vtcumque intellexeram, ea penitius inueſtigare orſus ſum, certus, veritatem etiam cum diſpendio meo ſequi. Suſcepi igitur propriam ſingularum partium tractationem, & ad laborem iſtum contuli animũ purum atq; illimẽ, vt ſi forte aberraſſem, redirem tempeſtiuè in viã. Adhibui deintegro lectionẽ ſacrorum librorum, etiam repetitam, euocato vbi opus videbatur auxilio inſtrumenti Logici, quod ego ſcripturis junctum, controuerſiarum omnium in religione κριτήριον certiſſimum vocare ſoleo. Dedi me in ſcholam pædagogi mei, hoc eſt Chriſti: rogaui illum, vt lemas oculis meis adimeret. Teſtor Deum, cui viuo & ſeruio, mi lector, me rebus omnibus accuratè ſubductis nõ potuiſſe ab animo meo extorquere, vt ſententiæ illi neceſſitatem conuerſionis & perſeuerantiæ abſolutam ſtatuenti ſubſcriberem. Etſi verò mihi ſingulas partes ſecundâ curâ examinanti, licuerit a primi capitis tractatione ordiri, tamen quum viderem credi a pleriſque in vlti-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
86 H 16

mo illo plurimum momenti ſitum eſſe, adeò vt nonnulli quotieſcumq; ipſis clementer agere libuit, dicant, facilè ſe conceſſuros, vt in primo capite aliud quis opinetur: ſed qui in tertio illo diſſentiat, non eſſe in ſuo ordine toleraturos, proram enim & puppim ſalutis noſtræ in eo conſiſtere, putaui caput illud primò eſſe expediendum. Id autem eſt DE SANCTORVM APOSTASIA. Sed dum noſtra iſta apud Typographum excuduntur, emanauit rumor, Petrum Bertium ſcribere adverſus Perſeuerantiam ſanctorum. Crimen capitale, quid enim? Docetne ſanctos non debere perſeuerare? Minime. Quid ergo? Poſſe deficere. Hic autem inſurgunt quidã, &, Si hoc fieri poteſt, nulla erit inquiunt, certitudo ſalutis: quorum quidem me miſeret: quaſi filiuſfamilias certus non ſit de patriâ hæreditate, qui tamen vitio ſuo poteſt mereri vt exhæredetur. Sed his quidem ſatisfactum puto reſponſione ad vltimam objectionẽ. Intelligo etiã eſſe qui tituli nouitate percellantur. Quaſi nouitas in voce conſiſtat, non in re: aut novum ſit illud Ezechielis, *Iuſtus poteſt deſerere juſtitiam ſuam*. Sunt qui putent Perſeuerantiã oppugnari: Enimuerò ſi nulla eſt alia Perſeuerantia quam quæ fictitio decreto incondicionatæ electionis & reprobationis nixa eſt, profiteor palàm, & meo more, propoſitũ mihi eſſe nõ tantùm illã oppugnare, ſed etiã euertere, vt quæ diuino verbo adverſetur, & ſollicitudinem omnem curamque ſalutis mortalibus eripiat. Sin de Perſeuerantia illa agitur quã Deus exigit, & ſancti ſecundum Euangelium præſtant, quis non videt, totam noſtram diſputationem eò tendere vt hæc obtineat? Adi ſaltem Axioma primum, &

De-

Demonſtrationem ſextam: & Conſectaria quæ ſententiam noſtram conſequuntur. Sunt etiam qui exiſtiment miſsâ voce Apoſtaſias, alio quovis modo quam eo quem nos expreſſimus, titulum formandum fuiſſe: quos quidem ſi quid modo artis Apodicticæ delibârunt, rogatos velim, An non adfectio quæſita juncta proprio ſubjecto optimè conſtituat titulum cujuſuis tractationis Apodicticæ? Quum ergo ſubjectum in noſtro Problemate ſint ſancti, adfectio quæ in controuerſiam venit ſit defectio ſiue Apoſtaſia, quis negabit, titulum rectè conceptum eſſe, aut eo titulo totius tractationis ſummam contineri? ſatiſque factum conſilio Plinij qui primum officium ſcriptoris eſſe docet, vt titulum ſuum ſæpè legat, atque identidem interroget ſe quid cœperit ſcribere? Præuidi id ante, itaque examen tituli inſerui argumenti iſtius tractationi. Alijs denique odioſum videtur nomen Apoſtaſiæ, judicántque conſultius facturum fuiſſe me, ſi vſus fuiſſem voce defectionis. Quid agas iſtis verborum æſtimatoribus, quibus mollius ſonat defectio quam Apoſtaſia; & quibus Latina & Græca nomina rem eandem exprimentia tamen videntur multum inter ſe differre? Sed nos hoc agamus. Tractatio igitur omnis, vt dixi, in eo conſumitur, vt demonſtrem, ſanctos, ſicut poſſunt perſeuerare, ita etiam poſſe deficere. Dicunt, novum eſſe iſtud dogma, & ante hunc diem in Eccleſia Chriſti inauditum: placere ſibi vetera. Veriſſimum id eſſe, quod ſit antiquiſsimum: plus ſatis nouitatum in orbem introductum eſſe: muſtea iſta vtut ſenſibus adblandiantur, tamen veneno permixta eſſe. Ego verò, Chriſtiane lector, tantū abeſt vt novus

 dog-

dogmatiſtes audire cupiam, & hæreſin nouã nouo paxillo ſuſpẽdere, vt non aliò prouocem quã ad canam illã & reuenerẽdam antiquitatẽ; perpetuumq; Eccleſiæ conſenſum: non quidem ut M. Cicero, qui majoribus tantùm deberi exiſtimauit, vt illis putârit etiã nulla ratione reddita credendum eſſe, & cum Platone errare maluerit, quam cum alijs vera ſentire: ſed quod judicem ſemper falſitatem veritati poſtumare, vt curuum recto. Ac quod ad ſcripturas quidem attinet, quibus prima fides imò ſola in rebus ad ſalutẽ pertinentibus adhibẽda eſt, miror, in tam clara luce fulgentium vbique teſtimoniorum, potuiſſe quemquam reperiri, qui ſecus ſenſerit. Sed impediuit multos inanis opinio de decreto incondicionato Electionis ſingularis: videbant enim illo poſito, neceſſariam eſſe electorũ perſeuerantiam abſolutã: Qui verò electionem iſtiuſmodi vel ignorauerunt, vel oppugnârunt, (quorum & melior & major perpetuò in Eccleſiâ pars fuit,) illi omnes vno ore docuerunt, poſſe ſanctos deficere. Et ſanè, nullus eſt in totâ ſcriptura apex, ſi recto judicij examine rem perpendamus, qui talem electionem ponat. Quid, quod ipſi fratres noſtri, vel falſi, vel incerti, certè minimè neceſſarij dogmatis acti conſcientiâ, quotieſcumque nobiſcum humaniter agere volunt, negant ſe de iſto capite magnopere velle contendere? Quæ etiam cauſſa fuit, cur non veritus fuerim inter Poſtulata primum iſtud reponere, *Non eſſe vllum tale electionis decretum.* Enimuerò non videò, hoc primo capite euerſo, quomodo neceſſitas illa perſeuerantiæ abſoluta defendi poſsit. Proinde qui de gradu iſto decedunt, nullo negotio poſſunt

de re-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
86 H 16

de reliquis deturbari. Quid verò pro nobis valeat ſcriptura omnis, quid ratio, quid antiquitas, quid Eccleſiarum confeſsiones, oſtendimus pro modulo noſtro leniter, & ſine ampullis, etiã ſine cujuſquã inſectatione. Prætereà, quã noxium ſit ſententiam alterã admitti, etiam oſtendimus. Adeò vt Deus, ſcriptura, ratio, Patrum conſenſus, Eccleſiarum confeſſiones, virorum grauiſsimorum autoritas, honeſtas atque vtilitas doctrinæ, ſtent a nobis: quæ quidem ſatis ampla puto eſſe veritatis documenta. Viderint qui contra hæc omnia ſolam opponunt pertinaciam ſuam. Illud certo eſt certius; nullam vnquam in Oriente, nullam in Africâ, nullam in Ægypto, nullam in inſulis illis florentiſſimis maris Mediterraneī, nullam in Græciâ fuiſſe Eccleſiam, quæ contra nos vel ſenſerit, vel definiuerit. Nullus vnquam in Græcia Epiſcopus aut Tractator a nobis diſſenſit, nullus non ſenſit nobiſcum. Si dubitas, & curioſitatem tuam, amice Lector, cupis in negotio veritatis exercere, percurre ad vnum omnes Græcos Patrēs, videbis eos de Perſeuerantia & Apoſtaſia id quod nos docemus, docuiſſe. Et poſt hæc omnia, ſententia noſtra pro nouitiolâ vel hodie nata apud imperitos traducetur? Quid quod nullus Latinorum ante B. Auguſtinum de hac re vnquam dubitauit? Quid quod Auguſtinus ipſe non niſi Pelagij excitus diſputationibus, ad oppugnanda illius Theoremata cœpit theſin iſtam λῃκυθίζειν? Quid quod alijs per Africam Eccleſijs vivus videnſque ſententiam ſuam non probauit? nam in definitionibus Concilij Carthaginienſis & Mileuitani quænam Pelagij dogmata damnata ſunt? Ecce iſta,

1 *Adam ſiue peccaſſet, ſiue non peccaſſet, fuerat nihilominus morituru.*

2 *Peccatum Adæ ipſum ſolum læſit, non autem reliquum genus humanum.*

3 *Infantes nuper nati eo ſtatu ſunt quo fuit Adam ante lapſum.*

4 *Per præuaricationem Adæ non moritur omne genus humanum, neque per reſurrectionem Chriſti omne humanum genus reſurgit.*

5 *Infantes etiamſi non baptizentur, habent vitam æternam.*

6 *Diuites baptizati niſi omnibus abrenuncient, etiamſi aliquid boni facere videantur, tamen id eis non reputatur, nec poſſunt habere regnum Deï.*

7 *Gratia Deï non datur ad ſingulos actus, ſed in libero arbitrio eſt, vel in lege atque doctrina.*

8 *Gratia Deï ſecundum merita noſtra datur.*

9 *Filij Deï non poſſunt vocari, niſi ſint omninò abſque peccato.*

10 *Non eſt liberum arbitrium, ſi Dei indiget auxilio, quoniam in propria voluntate habet quiſque, facere aliquid, vel non facere.*

11 *Victoria noſtra non eſt ex adiutorio Dei, ſed ex libero arbitrio.*

12 *Pœnitentibus non datur venia ſecundum gratiam Dei, ſed ſecundum meritum cujuſque.*

Hæc ſunt, inquã, ea omnia quæ in Africâ duobus concilijs dãnata ſunt, & quorũ oppoſita decreta fuerũt atq; comprobata. In his nihil de electionis & reprobationis decreto incondicionato, nihil de Perſeuerantiâ decreto illi

illi reſpondente legitur, quod tamen non neglexiſſent Africani, ſi vel in his capitibus erraſſet Pelagius, vel in ijs tantum momenti ad Pelagij errores confutandos poſitũ exiſtimâſſent: putauerunt enim, id quod res eſt, poſſe euerti hypotheſes Pelagij, etiamſi non recurretur ad tale decretum. Sed mirũ eſt, nos mille ducentis annis atque amplius Pelagio poſteriores melius videre quid dè illius errore ſtatuendum ſit, quam viderint trecenti illi Patres Africani. Quid, quod ipſe a ſe diſſentit Auguſtinus, vt Auguſtinũ citanti nihil ſit promptius quam Auguſtinũ ipſum opponere, neque quiſquam de electione & reprobatione aliquid opinatus ſit, qui non Auguſtini autoritatem ad ſententiæ ſuæ defenſionem accerſiuerit? Quid quod Cæleſtinus diſertè ad priuatam illius ſententiam reſpiciens, poſtquam ea probauit quæ Carthaginienſi & Mileuitano concilio publicè aduerſus Pelagium decreta ſunt, ſubjicit, *Profundiores verò difficilioreſque partes incurrentium quæſtionum, quas latius pertractarunt qui hæreticis reſtiterunt, ſicut non audemus contemnere, ita non neceſſe habemus adſtruere.* Atque hanc ego cauſſam fuiſſe arbitror, cur nullo hactenus Concilio, ac ne Tridentino quidem abſoluta illa & omnis præuiſæ condicionis expers Prædeſtinatio fuerit comprobata curque adhuc inter Pontificios ſaluâ Eccleſiæ concordiâ ingentibus animis nec minore contentione de re omni diſputetur, magna etiam doctorum manu ſtante pro Molinâ. Melanchthonem ſane & Lutherum, diuerſiſsimarum ſententiarum autores, conſtat totos annos XXVIII in vno opidulo VVitebergenſi ſummâ animorum concordiâ junctos fuiſſe: & poſt Lutheri obitum quis neſcit ple-

raſque Germaniæ Eccleſias miſsâ horrida illa Lutheri ſententiâ quam ille libro de ſeruo arbitrio complexus eſt, in partes Melanchthonis conceſsiſſe? ipſumque etiam Ioannem Caluinum non vno loco ea ſcribere quæ noſtram ſententiam valde corroborant? Enimverò ad XV caput Ioannis ſic notat, *Chriſtus amore quo nos ſemel complexus eſt, vult nos perpetuò frui: ac propterea cavendum eſſe admonet, ne eo nos priuemur. Multi enim oblatam ſibi gratiam repudiant, multi abjiciunt quod in manibus habebant. Ex quo igitur ſemel recepti ſumus in Chriſti gratiam, videndum eſt, ne inde culpâ noſtrâ excidamus.* Et poſt hæc omnia non placebit nobis niſi dura, peruicax, indomita ac neſci a rationi cedere contumacia? nobis inquam pro ratione erit hujus aut illius vacillans autoritas, pro Doctore impudentia, pro duce concitata plebs, pro ariete pertinacia, pro Deo eneruis & vel Omphales theriſtro ſuccumbens mollities? Ne ſirit hoc Deus. Sed de ſententiæ noſtræ veritate ſatis multa; ſi modò ſatis multa dici poſſunt. Quod ſi tamen aliquis poſt iſta omnia decreuerit nihilominus pertendere, negaueritque ſibi ſatisfactum, eum neceſſe erit, ſi modò ingenuè agere velit, cauſſas proferre, cur in ſententia ſuâ maneat. Ac talem ego vehementer etiam atque etiam rogabo, obteſtaborque, vt laborem ſuſcipiat expendendi ſententiam noſtram, & poſteà, ſi cauſſas habeat, etiam impugnandi: Sed ante omnia meminerit,

1 *Legem ſibi dictam, vt oſtendat, quod ſit τὸ πρῶτον ψεῦδος in meâ demonſtratione. Enimuerò ſi putet eſſe αἴτημα illud primum de abſolutâ & incondicionata electione & reprobatione, ſciat, nobis jampridem conceſſum hic eſſe, vnam de plu-*

de pluribus ſententiam amplecti: proinde non eſſe illam nobis libertatem eripiendam. Quiſquis verò principia concedit, eum neceſſe eſt illa omnia ad mittere, quæ ex illis principijs fluunt; niſi aut ipſe illiberaliter nobiſcũ agere cupiat, aut ita nos fungos eſſe arbitretur, vt non videamus quid ex quo ſit conſequens, neque vllum conſtituamus partium in S. Theologia σύστημα. Quod ſi quis tamen velit retractare quod datum eſt, non refugio etiam illius principij probationem. Paratus inquam ſum, planiſſimè demonſtrare, nullum eſſe in ſcripturis locum qui tale decretum ponat. Quocircà, priuſquam quiſpiam iſtius partis refutationem ſuſcipiat, neceſſe erit me faciat de ſententiâ ſuâ certiorẽ: vt capite illo vel a nobis probato acquieſcat; vel non rectè probato, illud quoque cum hoc ipſo Theoremate oppugnet; ita enim ordine ac methodo progredietur diſputatio: niſi quis forte exiſtimet neceſſitatem perſeuerantiæ abſolutam etiam ſine tali electionis decreto defendi poſſe.

2 Poſteà neceſſe habebit examinare claſſes ſingulas argumentorum, & aduerſus teſtimonia a nobis prolata ordine excipere.

3 Rationes quoque noſtras euertere.

4 Debebit etiam oſtendere, conſectaria practica a me poſita non ſequi ſententiam noſtram: eadem verò quum ſint honeſtiſſima poſſe fluere ex oppoſita ſententia. Abſurda quoque & falſa illa conſectaria non ſequi ſententiam oppoſitam, ſed noſtram. Aut ſi neque hanc neque illam, ex quibus illa tandem principijs deduci poſſint?

5 Debebit vel negare orthodoxum antiquitatis conſenſum, vel oſtendere non ſatis ex fide citata illius a me teſtimonia.

6 *Debebit oſtendere, antiquitatem omnem id docuiſſe quod ipſe ſtatuit defendere.*

7 *Denique tenebitur probare, ſententiam noſtram Confeßionibus Eccleſiarum Orthodoxarum & Catecheſi, & precum formulis eſſe aduerſam.*

Atque hæc quum fecerit clarè & diſerte, debebit poſtea poſitis principijs ex ſententia ſuâ, docere, Sanctos non poſſe excidere: idque verum eſſe,

1 *Ex ſcripturis.*
2 *Ex ratione.*
3 *Ex Concilijs & Patribus.*
4 *Ex confeßione & Catecheſi, ac receptis precum forumlis.*

Hæc, inquam, omnia neceſſe eſt faciat, qui refutandi partes ſuſcipiet, & quidẽ ſine ſophiſmate, altercatione, conuitio; vt appareat ingenuè quæſitã veritatem. Nam quod fruſtillatim quis partem aliquam excerptam traducat vulgò, & inuidiã toti operi creet ex arbitrio ſuo, ſeque ita defunctũ putet, fruſtra eſt. Operoſior eſt apodixis Theologica quam vt ita profunctoriè euertatur. Non conſtat phalanx niſi ex multis: Omnes loco moviſſe neceſſe eſt, qui de omnibus debellatis triumphare velit. Sed nimis forte multa in limine. Vnum iſtud priuſquam finem faciam, moneri te velim, Chriſtiane Lector; quod de Dauidis apoſtaſia particulari ſcribo pagina 18, id eſſe ejuſmodi, vt liberum contra ſentienti judicium relictum velim. Non ignoro, eſſe qui opinentur, Dauidem planè excuſſiſſe S. Sanctum: inter quos etiam eſt Henricus Mollerus, quem cito pagina 108. Atque hæc ſententia licet ad confirmandum Theorema noſtrum ſit efficacior quam ea ipſa quæ poſita eſt a nobis;

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
86 H 16

nobis: tamen ob graues & ſerias cauſſas malui alteram illam amplecti. Nemini præſcribo. Et poteſt Theſis noſtra adſtrui ſiue hanc ſiue illam ſententiam ſequaris. Vale Chriſtiane Lector; *Et caue, ne errore ſeculi abductus, excidas a propria ſtabilitate; ſed augetor in gratia & agnitione Domini noſtri & Seruatoris Jeſu Chriſti, cui* cum Pare & Sp. Sancto *gloria & nunc & in tempus ſempiternum.* AMEN. 2.Petri II. 17.

INDEX

RERVM ORDINE PROPOSITARVM,

PErioche. *pag.1.*

Examen Tituli, *De Sanctorum Apoſtaſia.* 2.

Τὰ διδόμενα, *ſiue Axiomata confeſſa.* 3.

1 *Sancti debent perſeuerare.* 3.

2 *Sancti poſſunt perſeuerare.* 5.

3 *Soli illi ſaluantur qui perſeuerant.* 9.

4 *Perſeuerantia eſt donum Deï.* 9.

Τὰ ζητέμενα, Controuerſa.

1 *An juſtus poßit juſtitiam ſuam deſerere.*

2 *An quæ deſeritur, fuerit vera fides aut juſtitia.*

Problematis prioris conſideratio.

Theorema prius. Iuſtus poteſt juſtitiã prioré deſerere. 11

Poſtulata 1 *Nullam eſſe Electionem & reprobationem abſolutam ſiue incondicionatam.* 12.

2 *Regeneratos habere in ſe carnem & ſpiritum, principia oppoſita.* 12.

3 *Dona ſpiritus dari ad luctam & ad victoriam, ſed ad luctam priùs quàm ad victoriam.* 12.

4 *Dona ſpiritus intendi, augeri, & multiplicari poſſe.* 13.

5 *Peccata poſſe capere incrementum.* 13.

6 *Fortiorem eſſe gratiam ſpiritus, quam ſit caro.* 13.
7 *Regeneratos poſſe agere ex vtroque principio.* 14.
8 *Dona ſpiritus ejuſque inſtrumenta ſufficere quidem ad victoriam ſiquis ijs vtatur, ſiquis verò non vtatur, non ſequi euentum illis donis reſpondentem.* 15.
Diſtinctio 1 *Apoſtaſia alia eſt Vniuerſalis, alia Particularis.* 17.
2 *Apoſtaſia vel eſt perſonæ ſingularis, vel totius Gentis.* 20.
3 *Peccata ſunt triplicia.* 156.
Adſertio prioris Theorematis cum ſui demonſtrationibus. 25.
1 *A formulis ſcripturæ.* 25.
2 *A teſtimonio ſcripturæ* 27.
3 *A naturâ finis, qui condicionaliter proponitur.* 31.
4 *A juſto metu ſanctorum.* 33.
5 *A cauſſis Apoſtaſiā conciliantibus per ſe vel per accidens.* 35
6 *A cauſſis Apoſtaſiam auertentibus.* 42.
7 *Ab argumentis varijs ſecundum ſcripturam.* 44.
EXCEPTIO cum Reſponſione ad eam. 49.
PROBLEMATIS poſterioris conſideratio: 50 Et 1 *An prior illa fides quæ deſeritur fuerit ſimulata?* 51.
2 *An ex hypotheticâ nihil colligatur poſitiuè?* 53.
3 *An fides temporalis fuerit vera fides?* 57.
THEOREMA poſterius 63. Demonſtratio *prima, ſecunda, tertia, quarta.* 64.
Quinta. 65.
Sexta, Septima. 66.
Demonſtratio ſingularis. ibid.
Demonſtratio primaria & vniuerſalis. 67.
Conſectaria ex ſententia noſtra. 67.68.69.70.
Conſectaria ex ſententia oppoſita. 74.

OR-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
86 H 16

ORTHODOXVS CONSENSVS & Teſtimonia *Ignatij.* 90.
Juſtini Martyris. 91.
Irenæi. 39.
Clementis Alexandrini, Origenis. 94.
Tertulliani. 96.
Theodoreti, Cypriani. 97.
Athanaſij. 98.
Baſilij, Gregorij Nazianzeni. 99.
Ambroſij, Chryſoſtomi, Hieronymi. 100.
Auguſtini. 101.
Proſperi Aquitanici. 102.
Gregorij Papæ, Bernhardi, Liræ. 103.
Acta Scholæ Pariſienſis. 103.
Philippi Melanchthonis. 104.
Reformatio Colonienſis. 105.
Confeſſ. Auguſtana 105. *Saxonica.* ibid.
Bohemica. 106.
Anglica. 107.
Martyr. Muſculus 107.
Joan. VVigandus & Matthæus Iudex. 108.
Henricus Mollerus. 108.
Chemnicus, Hemmingius, *Fr. Iunius.* 109.
ΑΝΑΣΚΕΥΗ & Reſpoſio ad Exceptiones. *Ad locum Rom.* XI.20. 110.
1 *Cor.* IX.27. 111.
2 *Cor.* XIII.6.7. 113.
1 *Cor.* X.12. 114.
Philip. II.12. 116.
1 *Tim.* I.19. 117.
Hebr. III.6. & 12. 119.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
86 H 16

*Hebr.*VI.4.5.6. 122.
*Heb.*X. 124.
2 *Petri* II.20. 125.
2 *Petri*.II.I. 126.
*Apocal.*IV.II. 127.
Objectiones, 1 Ex Articulo Confeſſ. XXIV. p. 129.
2 Ex Catecheſeos Quæſt. XXVIII. 129.
LIII. LIIII. 130.
Ex ſcripturis, *Jerem.*XXXII. 130.
*Matth.*XXIV.24. 131.
*Ioan.*III.14.VI.35.37. 135.
39.59. 136.
X.26. 137.
XVII.15. 137.
*Rom.*V.5.9. 138.
VIII.30. 138.
35. 141.
1 *Cor.* 1. 8. 9. 141.
Epheſ. 1. 13. 141.
IV.30. 142.
1 *Theſ.* V. 23. 142.
1 *Petri* 1. 3. 142.
Ioan. III. 9. 143.
Objectio ſingularis. *An poſitâ poſſibilitate. Apoſtaſiæ nulla ſit certitudo ſalutis?* 147.
Unde certitudo ſit? 150.
CONCLUSIO, *Continens meditationem. Practicam totius operis.* 152.

FINIS.

PROBLEMATA THEOLOGICA DVO

De Sanctorum Apoſtaſiâ.

Gravis eſt de Perſeverantiâ Sanctorum controverſia: Eam nos Chriſti unici ſervatoris noſtri auſpicio, ſcripturæ ſacræ ductu dirimere bonâ conſcientiâ ſtudebimus, ad Dei gloriam, & communem in veritate & ſanctitate ædificationem.

ΠΕΡΙΟΧΗ.

Perſeverantia duobus modis cõſiderari poteſt. Prior eſt imaginarius, prout fingitur adfectio conſequens neceſſariò homines quoſdam ad vitā æternam abſolutè & præciſè deſtinatos, cuiuſmodi etiam adfectiones finguntur, fides, juſtificatio, ſanctificatio, glorificatio. Poſterior eſt practicus, quatenus eſt condicio moralis, & hominibus a Deo imperatur; ac neglecta quidem contemptaque habet comminationem mortis, præſtita verò habet promiſſionem vitæ æternæ. Ille modus fluit ex crudâ & commentitiâ doctrinâ de Prædeſtinatione, adſeriturque ab iis omnibus, qui decretum tale electionis &

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
86 H 16

reprobationis ſtatuunt abſolutum: Hic modus fluit ex lege & Euangelio. Illum nulla hactenus Concilia approbârunt, ſed ſicut ab Auguſtino præcipuè ad evertendas Pelagij hypotheſes introductus eſt, ita poſt ea non niſi privatos quoſdam habuit ſectatores: hunc, poſt ſcripturā ſacrā, ratio & experientia cōprobant; quod nos deinceps demonſtrare inſtituimus.

EXAMEN TITVLI.

QVi tractationi huic titulū præfixére De ſanctorum perſeverantiâ, non videntur verbo complexi id quod præcipuè controverſum eſt: neque enim de perſeverantiâ potiſſimum agitur; ſed de apoſtaſiâ & defectione: hoc eſt, Non tam venit in quæſtionem, Vtrumne omnes ſancti perſeverent, aut, An debeant, poſſintúe perſeverare; quàm, Vtrum ſancti poſſint a gratiâ deficere, &, An quidam reapſe deficiant. Enimverò licet videantur idem valere, deficere, & non perſeverare; tamen, quia qui dicitur errare in capite de perſeverantia ſanctorū, credi poteſt docere, vel Nullos ſanctos perſeverare, vel, Omnes ſanctos perſeverare, vel, Nullos debere perſeverare, vel, Nullos poſſe perſeverare; quæ partim ambigua, partim manifeſtè falſa ſunt: (verum enim eſt dicere, Omnes ſanctos poſſe perſeverare, Quoſdam verò non perſeverare, ſed deficere) præſtat omninò, poſitivè dicere, deficere, quam non perſeverare. Quumque illa

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
86 H 16

illa in Titulo adſectio exprimenda ſit, de qu'i præcipuè controverſia eſt, quæratur vero de defectione & apoſtaſiâ, non autē de perſeverantiâ, efficitur, melius Titulo convenire vocem apoſtaſiæ, quam vocem perſeverantiæ.

ΤΑ ΔΙΔΟΜΕΝΑ

καὶ ἔξω πάσης διαλέξεως.

In confeſſo & extra omnem dubitationis aleam poſita ſunt iſta Axiomata.

AXIOMA INDVBITATVM I.

Sancti debent perſeverare.

Hoc eſt, officij ipſorum atque muneris eſt, perſtare in in fide & ſanctitate:

I Propter voluntatem & mandatum Dei.

2 Theſ. II 15. *Nempe igitur Fratres, perſtate, & tenete traditam doctrinam quam edocti eſtis.* 1 Cor XVI. 15. *State en fide, viriliter agite.* 1 Tim. III. 14. *Impij quidem homines & ſeductores procedent in peius: at tu permane in ijs quæ didiciſti.* Ioan. XV. 4. *Manete in me.* 1 Theſſall. IV. 3. *Hæc eſt voluntas Dei, ſanctificatio veſtra.*

II Ob præmia perſeverantibus a Deo promiſſa: cuiuſmodi ſunt, 1. Habitatio Dei in nobis.

Levit. XXVI. 3. *Si ambulaveritis in ſtatutis meis, & mandata mea ſervantes feceritis ea, ponam tabernaculum meum in vobis, neque faſtidiet vos anima mea, ſed indeſinenter ambulabo inter vos, & ero vobis Deus, vos quoque eritis mihi populus:* repe-

titur 2 Cor. VI. 16 Ioan. XIV. 23. *Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit, & Pater meus diliget ipſum, & veniemus ad ipſum, & manſionem apud ipſum faciemus.*

2. Adſcriptio in numerum familiarium Chriſti.

Ioan. VIII. 31. *Dixit Ieſus illis qui crediderunt ipſi: Si Vos manſeritis in ſermone meo, verè diſcipuli mei eritis.*

3 Cura Dei.

Ioan. XV. 2. *Omnem palmitem qui fert fructum in me, purgat Pater, ut plus fructus adferat.*

4 Exauditio.

Ioan. XV: 7. *Si manſeritis in me, & verba mea manſerint in vobis, quicquid volueritis, petite, & fiet vobis.*

5 Dilectio, favor, & benivolentia Chriſti.

Ioan. XV. 10. *Si mandata mea ſervaveritis, manebitis in charitate mea, ſicut & ego Patris mei mandata ſervavi, & maneo in eius charitate.*

6 Salus & vita æterna.

Matth. X. 12. & XXIV. 13. *Qui perſeveraverit uſque ad finem, hic ſalvus erit.*

Rom. II. 7. *Iis qui perſtant, quæruntque boni operis gloriam & honorem & emmortalitatem, reddet Deus vitam æternam.*

III Ob pericula defectoribus & apoſtatis propoſita, quæ poſtea enumerabuntur, in Theorematis prioris argumento tertio.

Tenentur igitur omnes ſancti & fideles Chriſti ſervi quocumque loco, ordine, condicione ſint, hoc de ſe promittere, ac præſtare: neque aliter quam de officio hominis fidelis capienda ſunt illa Catecheſeos verba,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
86 H 16

credo me, fidelem ſcilicet, vivum Eccleſiæ membrum eſſe, & perpetuo manſurum.

AXIOMA INDVBITATVM. II.

Sancti poſſunt perſeverare.

1 Vtpote qui ſufficienter instructi ſint donis ad perſeverantiam conſtituendam neceſſarijs: habent enim

1 Deum a dexteris, qui poteſt omnia.

Rom. VIII. 31. *Si Deus pro nobis, quis contra nos?*

2 Chriſtus ipſis vires ſubminiſtrat.

Philip. IV. 13. *Omnia poßum in Chriſto, qui me confortat*

3 Habent gratiam Spiritus intus agentem per fidem.

Ioan. IV. 14. *Quiſquis biberit ex aquâ illâ quam ego ei dabo, non ſitiet in æternum, ſed aqua illa quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam.*

Ioan. VI. 35. *Qui venit ad me, nequaquam eſuriet, & qui credit in me, nequaquam ſitiet.*

4 Hoc autem donum per ſe diuturnum eſt atque perpetuum, & qui hoc ſequuntur, non peccant.

1. Pet. I. 23. *Renati non ex ſemine corruptibili, ſed ex incorruptibili, per ſermonem Deo viventis, & manentis in æternum.*

1. Ioan. III. 9. *Quiſquis natus eſt ex Deo, peccatum non committit, quoniam ſemen ipſius in eo manet: neque verò poteſt peccare, eo quod ex Deo natus eſt.*

1. Ioan. V. 18. *Quiſquis natus eſt ex Deo non peccat: ſed qui genitus eſt ex Deo, conſervat ſeipſum, & malus ille non tangit eum.*

II Bona iſta ſanctis nemo poteſt adimere vel eripere.

Ioan. X. 28. *Oves meas nemo rapiet e manu meâ. Pater meus qui eas dedit mihi maior omnibus eſt, neque quiſquam poteſt eas eripere e manu Patris mei. Ego & Pater vnum ſumus.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
86 H 16

Deo verò conſervante, & homine per fidem advigilante, quis bona iſta eripiet? 1 An vlla res creata? Minime: docente Apoſtolo, *Nullam rem creatam poſſe nos ſeparare a charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Domino noſtro*. Rom. VIII. 35. Quæ verba in Catecheſin noſtram tranſſcripta ſunt, reſponſione ad quæſtionem XXVIII. 2 An Diabolus? at hic fide, precibus, vigilantia, ſuperatur. Hæc autē ſancti præſtare & debent, & poſſunt. 1 Pet. v. 8. *Adverſarius noſter Diabolus tanquam leo rugiens circumit, quærens quem devoret: ſed reſiſtite ei, fortes in fide.*

Iacobi IV. 7. *Subditi eſtote Deo, reſiſtite Diabolo, & fugiet a vobis.*

1 Ioan. v. 18. *Qui genitus eſt ex Deo, non peccat, & Malus ille non tangit eum.*

Profectò neceſſe eſt infirmũ eſſe hoſtem, qui non poteſt vincere niſi volentē, niſi ſeipſũ propriâ ſponte illius poteſtati dedentem, ſeq; iugo illius ſubmittentem. Imbellem quoque neceſſe eſt eſſe, qui vel reſiſtentem fugit.

3 An mundus? Atqui

Omne quod natum eſt ex Deo vincit mundum: & hæc eſt victoria quæ vincit mundum, fides noſtra. Quis eſt autem qui vincit mundum: niſi qui credit quod Jeſus eſt Filius ille Dei? 1 Ioan. v. 4.

4 An perſecutio, adflictio, res adverſæ? At iſta nos per Chriſtum ſuperare poſſumus.

Rom. VIII. 35. *Quis nos ſeparabit a charitate Chriſti? an oppreſſio? au anguſtia? an perſecutio? an fames? an nuditas? an periculum? an gladius? Imò in iſtis omnibus pluſquam victores ſumus, per eum qui dilexit nos. Nam mihi quidem perſuaſum eſt, neque mortem, neque vitam, neque angelos, neque principatus, neque poteſtates, neque inſtantia neque futura, neq; ſublimitatem neque profunditatem*

tatem, neq; vllam rem aliam creatam poſſe nos ſeparare a charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Domino noſtro.

Præterea, hæc ipſa attemperat Deus viribus quas nobis ex gratia ſuggeſsit.

1 Cor. x. 13. *Tentatio vos non invaſit niſi humana. Fidelis autem eſt Deus, qui non ſinet vos tentari ſupra quam poteſtis: ſed faciet una cum tentatione exitum ut poſſitis ſufferre.*

Itaque meritò Apoſtolus de nobis.

Perſequutionem patimur, ſed non derelinquimur: humiliamur, ſed non confundimur; deijcimur, ſed non perimus. 2. Cor. iv. 9.

Sed quæri hoc loco poteſt, An non fieri poſsit, ut Deus ipſe gratiam ſuam nobis prior ſubducat? Reſponſio ex ſcripturis facilis eſt, Nunquam id fieri. QVAESTIO. RESP.

Luc. x. 42. *Maria bonam partē elegit, quæ non auferetur ab ipſa.*

Hebr. xiii. 15. *Ipſe dixit,* Non *deſeram te, neq; derelinquam te.*

1 Theſs. v. 24. *Fidelis eſt is qui vos vocavit, qui etiam efficiet.*

Accedit ratio. 1. A conſtantia & immutabilitate propoſiti divini, neque enim dona ſua dat Deus in diem, ut ſint ἐφήμερα, aut ut facti ſui ductus pœnitentiâ poſteà nobis ea ſubducat, ſed ut perpetua ſint.

Rom. xi. 29. Ἀμεταμέλητα *ſunt dona Dei, & vocatio.*

2 A juramento Dei.

Heb. vi. 17. *Deus volens ex abundanti hæredibus promiſſionis oſtendere immutabilitatem conſilij ſui, fideiuſſit jure jurando, Vt per duas res immutabiles, in quibus fieri non poteſt ut mentitus ſit Deus, validam conſolationem habeamus.*

3 Ab intentione & voluntate Patris.

Ioan. vi. 39. *Hæc eſt voluntas eius qui miſit me Patris, ut quicquid mihi dederit, non perdam ex eo, ſed ſuſcitem illud noviſſimo die.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
86 H 16

4 A voluntate & ſtudio Filij.

Ioan. VI. 37. *Quicquid mihi dat Pater, veniet ad me: & qui ad me veniunt, eos ego non eijciam.*

5 Ab ejuſdem interceſsione.

Luc. XXII. 31. *Simon Simon, ecce, Satanas appetijt vos, quos ventilaret ſicut triticũ, Sed ego rogavi pro te, ne deficiat fides tua.*

6 Ab officio Sp. Sancti.

Ioan. XVI. *Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, ut is maneat vobiſcum in æternum.*

Atque hoc voluit Catecheſis, quum dixit, Spiritum ſanctum idcircò nobis datum, ut nos per veram fidem Chriſti & omnium ejus beneficiorum participes faciat, nos conſoletur, & nobiſcum in æternum maneat.

7 A natura fœderis, quod perpetuum eſt,

Ieſia. LXI. 8. *Fœdus perpetuum pangam eis.* & LX. 21. *Populares tui quotquot erunt juſti, hæreditario jure poſſidebunt terram.*

Ierem. XXXI. 3. *Dilectione perpetua diligo te.*

Iezech. XXXVI. 25. *Reſidebunt in ea terra quam dederam Iacobo ſervo meo, in qua reſederunt maiores veſtri, reſidebunt inquam in eâ ipſi, filijque ipſorum, uſque in ſeculum, & David ſeruus meus princeps ipſis erit uſque in ſeculum. Quum pepigero ipſis fœdus pertuum futurum cum ipſis, ponamque ſanctuarium meum in medio ipſorum in ſeculum. &c.*

Atque idcircò vocatur fœdus ſalis.

Num. XVIII. 19. *Fœdus ſalis perpetuum eſt coram Jehova, pro te, & pro ſemine tuo tecum.*

In cujus perpetuitatis ſymbolum ac memoriam voluit Deus in Veteri Teſtamento omnes oblationes ſale conſpergi.

Levit. II. 31. *Omnem oblationem muneris tui ſale ſalito, neque*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
86 H 16

ceſſare ſinito ſalem fœderis Dei tui a munere tuo: cum omni munere tuo offerto ſalem.

Et in Novo Teſtamento Sacramenta non gratiam, temporariã, ſed perpetuam credentibus obſignant. Atque hoc voluit Confeſsio Eccleſiarum Belgicarum Articulo XXXVI, quum ait. *Baptiſmus nobis teſtimonio eſt, Deum nobis in æternum Deum fore, & patrem nobis propitium.*

7 A natura juſtitiæ. Subducere gratiam, præſupponit culpam: hanc autem quum ſancti vitent, ſunt extrà periculum iſtius pœnæ. David non niſi poſt gravisſimũ peccatũ, *Ne abijcias me* inquit *a facie tuâ, & Spiritum ſanctum tuum ne auferas a me. Redde mihi gaudium ſalutis tuæ, & ſpiritu ingenuitatis ſuſtentato me.* LI. 13.

III Ineptum eſſet poſtulare id quod ſimpliciter eſt impoſsibile. Quum autem Deus perſeverantiam a nobis exigat, ſequitur eam non eſſe reponendam inter ea quæ ſunt ἁπλῶς ἀδύνατα.

AXIOMA INDVBITATVM III.

Soli illi ſalvantur qui perſeverant.

Luc. XXII. 28. *Vos eſtis ij qui permanſiſtis mecũ in tentationibus meis. Idcircò ego diſpono vobis ſicut diſpoſuit mihi Pater meus, regnum.* Ioan. XV. 5. *Qui manet in me, & in quo ego maneo, hic fert fructum multum.* Matth. X. 12. & XXIV. *Qui perſeveraverit uſque ad finem hic ſalvus erit.*

AXIOMA INDVBITATVM IV.

Perſeverantia in fide eſt donum Dei.

I Cor. IV. 7: *Quid habes quod non accepiſti? quod ſi verò accepiſti, quid gloriaris ut qui non acceperis?* I Cor. XV. 10. *Gratia*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
86 H 16

Dei id ſum quod ſum, & gratia eius erga me non fuit inanis. Ioan. xv. 5. *Sine me nihil poteſtis facere.* Philipp. 11. 13. *Deus eſt qui operatur in nobis velle & perficere, ſecundum beneplacitum ſuum.* Iacobi 1, 17. *Omne donum bonum, & omnis donatio perfecta, ſuperne deſcendit a Patre luminum.* Idcircò iubet Dominus, ut vigilemus & oremus. Matth. xxvi. 41.

ΤΑ ΖΗΤΟΥΜΕΝΑ.

Controverſa ſunt iſta 1 An fidelis poſsit fidem ſuam deſerere. 2 An quæ deſeritur fuerit vera fides. Porrò hæc duo neque Confeſsione Eccleſiarnm noſtrarum, neque Catecheſi Palatinatus hactenus definita ſunt: Nam quæ a quibuſdam proferuntnr, ea proprie pertinent ad eas claſſes Axiomatum indubitatorũ, ad quas a nobis relata ſunt. Proinde libera integraque relicta eſt veritatis de his rebus diſquiſitio: neque præſcribere nobis debet privata alicuius ſecus ſentientis autoritas, quum utrimque & multi, & graves, & ſancti viri ſtent; & ubi nihil publicè definitum eſt, libera ſit & honeſta veri inveſtigatio. Nos igitur ad utramque quæſtionem reſpondebimus adfirmativè.

PROBLEMA PRIVS.

An juſtus poſſit juſtitiam ſuam deſerere?

Vel, quod idem valet, An fidelis a fide, ſanctus a ſanctitate ſuâ poſsit deflectere. Nam qui ſic formant, An fidelis poſsit fidem amittere, non tantum verbo a ſcripturarum ſacrarum formulâ receduut, ſed etiam dubiam faciunt & inefficacem quæſtionem. Nam primùm ſcri-

ptura

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
86 H 16

ptura de bonis iſtis ſic non loquitur. Deinde, amittitur id propriè, quod fortunâ nobis, ut aiunt vel caſu perit, præter intentionem noſtram, annulus, liber, numus, quæ poſteà ſi recuperentur, dicuntur reperiri vel inveniri: At iuſtitia, fides, charitas, ſicut non inveniuntur, ita nec amittuntur. Quod ſi verò latiùs extendas hanc vocem, amitti etiam dicetur id, quod eripitur invito. At juſtitiam, fidem, ſanctitatem, nemo iuvito eripit. Deſeruntur hæc bona, non amittuntur, neque eripiuntur invito, vel naufragio pereunt, ſed effluunt negligenti, aut malè promerito ſubducuntur: hoc eſt; ſublatio non habet rationem tentationis ad conſequens peccatum, ſed iuſti ſupplicij ob peccatum antecedens: licet enim externorum bonorum ademptione tentet ſuos Deus, ad fidei exercitium; tamen bonorum ſpiritualium poſſeſſione neminem mulctat, niſi, idipſum antè promeritum. Præterea, non quæritur, An quis ſimul iuſtus manere poſsit, & iuſtitiam deſerere, aut ſimul eiuſdem rei fidem habere & non habere; hæc enim ſunt ἀσύςατα: ſed hoc quæritur, An qui ſanctus eſt, mutatâ ſenſim voluntate, non poſsit tandem omnem armaturam fidei abijcere & fieri λειποτάκτης, meliorumque partium deſertor. Denique, non hoc agitur, An fidelis poſsit peccare, quis enim eſt homo qui non peccet, etiam in multis? ſed an peccatorũ multorum conglomeratione eò vſque poſsit pertingere, ut univerſali apoſtaſiâ Spiritũ gratiæ penitus queat excutere, & ſe bonis omnibus cæleſtibus ſpoliare.

THEOREMA PRIVS.

Iuſtus poteſt iuſtitiam ſuam deſerere.

Ad huius Theorematis demonſtrationem petimus

concedi nobis iſta

POSTVLATA.

I Nullam eſſe Electionem aut reprobationem abſolutam.

Neque illam quæ fingitur facta ante decretum creationis; neque illam quæ ſtatuit decretum iſtiuſmodi factum præviſo lapſu: ſed utramque eſſe commentitiam, ſicut alibi demonſtratum eſt.

II Regeneratos habere in ſe carnem & ſpiritum; principia oppoſita.

Sed carnem a naturâ corruptâ, ſpiritum a gratia adventitiâ. Galat. v. 16. *Spiritu incedite, & quod concupiſcit caro, ne facite. Nam caro concupiſcit adverſus ſpiritum: ſpiritus verò adverſus carnem: Hæc autem inter ſe ſunt oppoſita.* Rom. VIII. 12. *Nempe igitur, fratres, debitores ſumus non carni, ut ſecundum carnem vivamus, ſed Spiritui.*

III Dona ſpiritus dari ad luctam & ad victoriam, ſed ad luctam prius quam ad victoriam.

Quia non eſt victoria niſi poſt certamen; nec datur corona niſi vincenti. Apocal. II. 26. *Si quis vicerit, & cuſtodierit uſque ad finem opera mea, dabo eï poteſtatem in Gentes. &* III. 5. *Qui vicerit amicietur veſtimentis albis, neque delebo nomen eius ex libro vitæ.* 21. *Si quis vicerit, dabo eï ſedere in throno meo, ut & ſedeo cum Patre meo in throno eius.* Sufficiunt autem fidelibus dona ſpiritus ad utrumque ſi modò ea

cuique

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
86 H 16

cuique curæ ſint. 2. Cor. XII. 7. *Ne excellentia revelationum ſupra modum efferrer, datus eſt mihi ſurculus infixus carni, & Angelus Satan ut me colaphis cædat, ne ſuprà modum efferar: ſuper hoc ter Dominum rogavi, ut abſcederet a me, & dixit mihi, Sufficit tibi gratia mea: Nam potentia mea per infirmitatem perficitur.*

IV Dona ſpiritus intendi poſſe, & augeri, & multiplicari.

Matth. XIII. 12. *Habenti dabitur.* Apocal. XXII. 11. *Qui juſtus eſt, juſtificetur adhuc; & ſanctus ſanctificetur adhuc.* 1. Cor. XV. 10. *Gratia Dei in me non fuit inanis.* Luc. XVII. 5. *Adijce nobis fidem.* Pſal. LXXXIV. 8. *Progrediuntur de victoria in victoriam*, vel, de virtute in virtutem. Matth. XXV. 23. *Euge ſerve bone ac fidelis, in paucis fuiſti fidelis, ſuper multa te conſtituam, ingredere in gaudium Domini tui.* & 28. *Tollite ab eo talentum & date ei qui habet decem talenta, omni enim habenti dabitur.*

V Peccata poſſe incrementum capere.

Dum vara, quod aiunt, vibiam trahit.

Apocal. XX. 11: *Qui nocet noceat adhuc, & qui ſordidus eſt, ſordeſcat adhuc.* Matth. XIII. 12. *Quiſquis non habet, etiam quod habet tolletur ab eo.* Hoc eſt Hebræis addere ebriam ſitienti. Deut. XXIX. 19.

VI Fortiorem eſſe gratiam ſpiritus quam ſit caro.

Fortior inquam eſt fides & charitas, quam ſit caro; non tantum ratione principij & cauſæ, ſed etiam ratione formæ propriæ, & effectus: multò

enim vehementius fertur in Deum ſpiritus, quam caro in vllum mortale bonum. Matth. XXVI.41. *Spiritus prõptus eſt, ſed caro infirma.* Fortis eſt dilectio ut mors. Cantic. VIII. 6. Imò ipſa eſt morte fortior: nam & eam vincit, & nihilò ſecius poſt mortem adhuc remanet. Sed dona ſpiritus, ſicut non admittuntur primùm, ita neque agunt poſteà niſi per voluntaté: neceſſe eſt igitur ut loquitur Apoſtolus, exſuſuſcitentur. Excitantur verò, precibus, vigilantia, attentione, de quibus Demonſtratione ſexta. Ita ergo fidelis & Chriſtianus miles adſumpta Panoplia Dei, *poteſt reſiſtere tempore adverſo, & omuibus confectis ſtare. Eſt enim accinctus lumbos charitate, indutus thoracem juſtitiæ, calceatus pedes præparatione Evangelij pacis. Habet inſuper ſcutum fidei, quo poteſt omnia iacula mali illius ignita extinguere. Galeam etiam habet ſalutarem, & gladium ſpiritus, qui eſt verbum Dei. His addit preces & ſupplicationes.* Epheſ. VI. 13.

VII Regeneratos poſſe agere ex utroque principio.

Poſſunt, & poſſunt' tamdiu quam ſunt in hac carne. Porrò actus eſt ex determinatione liberâ voluntatis. Hoc modo. Suggerit aliquid caro, ſuggerit & ſpiritus: ſuggerit uterque ſuum, ſub ratione boni. Sed carnis bonum præſens eſt, conſpicuum, irritat ſenſus, & plurium exemplo pellicit ad fruitionem ſui: Bonum ſpirituale creditur & ſperatur, deſertumque a ſectatoribus, ſolius Dei & conſcientiæ teſtimonio gaudet. Quo ſe verò cum-

rò cumque inclinaverit voluntas, ex eo ſequetur actus. Itaque illa ſollicitata utrimq; hæret ſæpe, vacillat, luctatur, nutat, ac preſſa etiam exclamat, *Credo Domine, ſuccurre incredulitati meæ.* Marci. IX. 14.

VIII Dona iſta ſpiritus eiuſque iuſtrumenta ſufficere quidem ad victoriam ſi quis ijs utatur: ſi quis verò ea vel negligat vel ſpernat, non ſequi eventum illis donis reſpondentem.

Sicut gladij in vaginâ reconditi nullus eſt uſus in prœlio, ita neque bonorum cæleſtium, ſi intra potentiam animi concluſâ teneantur. Producenda ſunt in harenam, & ad luctam evocanda, ut ſequatur victoria. Quod qui non facit, deſerit officij ſni partes, & ſuâ culpa ſuccumbit. Id verò quo pacto quibuſque gradibus fiat, operæ eſt pretium explicare. Principio fides eſt de bono æterno, & habet de peccato conceptum iſtiuſmodi, *Quiſquis peccat contra Legem Deï, meritò a Deo puniendus eſt.* Quoties verò cumque offertur homini pio & credenti res aliqua ſiugularis, vel alliciens ad peccandum, putà ad Idololatriam, vel a bono abſterrens, puta a ſolius Dei cultu; mittitur ſtatim animus in deliberationẽ, ſicut ante dictum eſt; anceps que ac dubius hæret utrum facturus ſit. Sunto illecebræ, opes, voluptates, honores, gratia potentum: ſunto terriculamenta, exilium, vxoris & liberorum cædes, ignominia, odium, fames, mors, & quidem talis, tam crudelis. Hic

pecca

peccaturus aliquis duo iſta mente concipit, *Deus non eſt abnegandus*, atque hoc ſuadet fides; *Deus eſt abnegandus*, atque hoc ſuadet caro. Quid ſi accedant ſpecioſa ſophiſmata amicorum ſupparaſitantium, & peccatum extenuantium? 1 Diſputatur adhuc inter viros doctos an hoc facinus coniunctum ſit cum abnegatione Dei: ecce, hi, hi doctores negant; hi dubitant. 2 Non ſi nunc abneges Deum, propterea ſimpliciter ipſum abnegaveris; vna hirundo non facit ver. 3 Poteſt externo geſtu vel etiam ore hoc fieri, animo adhuc illæſo atque integro: Deus verò quum ſit Spiritus, ſpiritu coli vult. 4 Deus eſt miſericors, facilè ipſe hoc tibi condonabit, videſne ut Salomon fuerit idolatra? ut Petrus Domini ſui abnegaror? at hi ſunt reſtituti. Nihil Deo æquè convenit, atque miſereri & benefacere. 5 Facilè in integrum reſtituéris per pœnitentiam: ingemiſce modò, exaudiverit. 6 Si es electus ad vitam, non officiet hoc ſaluti tuæ, decretum enim Dei ſolvi non poteſt: ſi non es electus, cur bis peris? cur tot mala peſers in hoc ſeculo, maiora poſt mortem perpeſſurus? Hæc, inquam, ſi accedant ſophiſmata, occæcatur interdum ratio, ut verum audire vix queat. Quod ſi vir pius in hoc periculo inſtaret ſancto propoſito vocationis ſuæ, vinceret parvo negotio offutias iſtas tentationum fide & precibus, exemplo trium illorum juvenum, quibus rex Nebucad-nezar quum fuiſſet cõminatus, ſe illos in fornacem ignis accenſam coniectu-

iecturum, niſi imaginem ſuam adoraſſent, reſponderunt, *Non ſumus o Rex ſolliciti de hoc negotio: ſive futurum eſt ut Deus noſter quem nos colimus, qui potens eſt ad eripiendum nos a fornace ignis accenſa, & a manu tuâ o Rex, eripiat nos: ſive non: notum ſit tibi Rex deos tuos nos non eſſe culturos, & imaginem auream quam erexiſti non eſſe nos adoraturos.* Sed quia ille animum ſuum ſæpenumerò ſponte ſuâ avertit a mandato Dei, & a bonis ſpiritualibus, conijcitq; mentem in iſta particularia, ijſque inhæret, fit, ut lenocinium carnis & terriculamenta Diaboli ſequatur excluſa fide. Lapſus igitur conta conſcientiam abnegat hoc modo fidem, &contriſtat ſpiritum, quem ſi ſequutus fuiſſet, ſtetiſſet. Proinde non rectè videntur mihi fideles poſtquam deliquerunt culpam facti in ſuam imbecillitatē conijcere: regenitus enim non eſt debilis niſi velit, talibus enim & tam multis inſtructus eſt armis, ut niſi ea abijceret, illorum ope poſſet victoriam obtinere.

ΔΙΟΡΙΣΜΟΙ.

1. Duplex eſt Apoſtaſia; vna particularis, altera vniverſalis.

Particularis eſt circà vnum aliquod vel plura non maxima peccata, tum venialia, tum mortalia; ſed iſta infrequentius; fitque ex ignorantiâ, leuitate, malitiâ, qualis eſt in nuda ebrietate, ſtupro, adulterio: vel in iſtiuſmodi pluribus coniunctis. Vniuerſalis eſt, quādo Deus & Chriſtus eius, omniaq;

diuina vel dedito animo contemnuntur, vel prior illorum beneficiorum oblatorum contemptus ex ignorantia profectus per ſubſequentem impœnitentiam & malitiam approbatur & confirmatur.

Particularis apoſtaſiæ adfectiones hæ ſunt. 1. Nōdum excuti ea planè in regenitis Sp. Sanctum, ſed in tantum duntaxat contriſtari, quantum eſt peccatum illud in ſe. Iſtiuſmodi fuit defectio Dauidis, qui vincendum ſe carni præbens, adulterio & fœdo homicidio polluit, & tamen potuit credere, naſciturum ex ſuo ſemine Meſsiam. Talis quoque abnegatio fuit B. Petri.

II. Dari ab eâ reſtitutionem ex gratiâ Dei in Chriſto, per ſeriam pœnitentiam, & ſemina ſiue principia boni adhuc reliqua. Exemplo ſint Dauid, Petrus, alij. Sed quo gravius eſt peccatum, eo par eſt maiorem eſſe pœnitentiam, ut ſuperabundet gratia. Erravit igitur Montaniſtarum errorem Tertullianus, quum ſcripſit. *Cui non accidet aut iraſci iniquè, & vltrà ſolis occaſum? aut & manum immittere, aut facilè maledicere, aut fidem pacti deſtruere, aut verecundia, aut neceſſitate mentiri? In negotijs, in officijs, in quæſtu, in victu, in viſu, in auditu quanta tentamur? vt ſi nulla ſit venia iſtorum, nemini ſalus competat. Horum ergo erit venia per exoratorem Patris Chriſtum. Sunt autem & contraria iſtis, vt graviora & exitioſa, quæ veniam non capiant, homicidium, idololatria, fraus, negatio, blaſphemia, vtique & mœchia & fornicatio, & ſiqua alia violatio templi Dei. Horum vltrà exorator non erit Chri-*

ſtus;

ſtus : hæc non admittet omninò qui natus ex Deo fuerit: non futurus Dei filius, ſi admiſerit. De Pudicitiâ cap.xix.

III. Facilè ab eâ gradum fieri ad Vniuerſalem apoſtaſiam, ſi quis omiſſâ pœnitentiâ, & contemptis admonitionibus atq; pultationibus ſpiritus, gratiam extinguat, & in peccatorum cœno volutare non deſinat. Matth. xiij. 12. *Qui non habet, ei etiam id quod habet, auferetur.* 2. Tim. iij. 13. *Homines improbi & impoſtores procedent in peius, tum ſeducentes, tum ſeducti: At tu permane in ijs quæ didiciſti.* Proinde qui vniuerſalem apoſtaſiam vitare volet, conſultiſsimè facturũ, ſi minora peccata vitet: ac ſi fortè peccauit, audiat ſpiritum ad reſipiſcentiam exhortantem.

IIII. Paſtores in caſibus conſcientiæ quantiſper non conſtat de alienâ reſipiſcentiâ, non poſſe abſolutè cuiquam remiſsionem particularium peccatorum nomine Dei promittere, ſed debere id tantùm facere condicionaliter: exemplo B. Petri, qui Simonem magum ſic alloquutus eſt, Actor. VIII. 21. *Cor tuum non eſt rectum in Dei conſpectu, Reſipiſce igitur ab iſta malitia tua, & roga Deum; ſi forte remittatur tibi cogitatio cordis tui: video enim te in felle amariſsimo, & nexu iuſtitiæ poſitum.*

Vniuerſalis apoſtaſiæ unica eſt, ſed valdè horribilis adfectio, Non dari ab eâ regreſſum aut reſtitutionem. Hebr. VI. 4. *Fieri non poteſt, ut qui ſemel fuerint illuſtrati, guſtaverintque donum cæleſte, & participes facti fuerint Sp. ſancti, guſtaverintque bonum Dei verbum,*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
86 H 16

bum, ac virtutes futuri ſeculi; ſi prolabantur, ut denuò renoventur per reſipiſcentiam: ut qui rurſum crucifigant ſibimetipſis Filium Dei, & ad ignominiam exponant. Hebr. x. 26: *Si ultrò peccaverimus poſt acceptam cognitionem veritatis, non eſt pro peccatis reliqua adhuc hoſtia: ſed horrenda quædam exſpectatio iudicij, & ignis feruor, qui devoraturus eſt adverſarios.* Deut. xxix. 18. *Ne ſit in vobis vir aut mulier, aut familia, aut tribus cuius animus avertat ſe hodie a Iehoua Deo noſtro, ut eat ad colendum Deos gentium iſtarum: ne ſit in vobis radix proferens cicutam aut abſinthium. Neve ſit, qui quum audiverit verba adiurationis huius, benedicat ſibi cum animo ſuo, dicendo, Paxerit mihi quum ex ſententia animi mei ambulabo: quò addat ebriam ſitienti. Non enim acquieſcet Jehoua ut condonet ei, ſed tunc fumante ira Iehouæ & zelo eius contra virum illum, incumbet ei omnis adiuratio quæ ſcripta eſt in libro hoc, delebitque Iehoua nomen eius ſub cœlis.* 1. Ioan. v. 16. *Si quis viderit fratrem ſuum peccare peccato non ad mortem, petet, & dabit ei vitam, peccantibus inquam non ad mortem. Eſt peccatum ad mortem, non pro illo dico ut roget.*

II. Apoſtaſia vel eſt totius gentis, vel perſonæ alicuius ſingularis.

Diſtinctio iſta petita eſt a ſubiectis, ſicut prior ab obiectis & propriâ circà illa formâ. Apoſtaſia Gentis fit, quum populus aliquis gratiosè vocatus ad communionem fœderis, obedientiam fœdere exactam quam præſtare debuit ex officio, potuitque ex gratiâ, nõ præſtat, aut aliquamdiu præſtitam,

ſtitam, poſteà deſerit. Talis fuit defectio populi Iudaici, ſæpius quidem ſæpiuſque iterata, ſed tandem plenè commiſſa, de qua Ieremias cap. II. 21. *Ego plantaui te optimam vitem, totam ipſam ſemen verum: & quomodo conversa es mihi in ſarmenta vitis alienæ?* Paulus ad Rom. XI. 20. *Propter infidelitatem defracti ſunt.* Apoſtaſia iſta diſtinctè a Prophetis paſsim deſcribitur: Hoſeas vno verbo ſic, *Nulla eſt fides, nulla benignitas, nulla agnitio Dei in hac terrâ. Peierando, & mentiendo, & occidendo, furandoque, & adulterando effringunt legem, & cædes aliæ alijs ſunt contiguæ. Exſcindetur populus, eo quod vacet ſcientiâ: Quia tu ſcientiam ſpreuiſti, ſpernam quoque te: quia oblitus es legis Dei tui, obliuiſcar filiorum tuorum ego quoque.* cap. IV.

Adfectiones iſtius apoſtaſiæ ſunt hæ.

I. Iſta committitur non vnius alicuius vel paucorum, ſed omnium ordinum defectione. Iere. II. *Defecerunt ipſi, Domus Iſrael, Reges eorum, & Principes eorum, & ſacerdotes eorum, atque Prophetæ eorum:* Nam alioqui propter paucos iuſtos ſeruat Deus gratiam ſuam in Gentem, in ſpem reſipiſcentiæ aliorum.

II. Non omnes qui ſunt in fœdere gratioſo gentis, ipſi protinus ſunt in gratiâ: quia fit (quemadmodum in nobilitate) vt quidam generi ſuo non reſpondeant. Matth. III. 9. *Ne dicite, Patrem habemus Abraham, dico enim vobis, Deum poſſe etiam ex lapidibus excitare filios Abrahamo.* cap. XX. 16. *Multi vocati, pauci electi.* Rom. IX. 6. *Non omnes qui ſunt ex patre Iſraële ſunt Iſraël, neque quia ſemen Abrahæ ideo omnes*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
86 H 16

Abrahæ filij, ſed in Iſaac vocabitur tibi ſemen: hoc eſt, Non qui filij carnis, ij ſunt Filij Dei, ſed qui ſunt Filij promiſſionis, cenſentur in ſemine. Promißionis enim ſermo hic eſt, Fidei nimirũ non carni datus, *hoc ipſo tempore veniã & erit Saræ Filius, &c.* Itaq; diues ille epulo in tormentis gehennæ adhuc Abrahamum agnoſcit patrem ſuum: eundem Abraham non ſemel vocat filium ſuum, Luc. XVI. quum tãtum impius ille ab Abrahæ cognatione ſpirituali abeſſet, quantum locis diſiuncti erant.

III. Quotquot deficiunt a fœdere gentilitio, etiam deficiunt a fœdere ſingulari. Habet enim defectio iſta contemptum Dei, & abſolutam reiectionem gratiæ. Tale fuit peccatum Caini, Eſaui, & aliorum qui ab Eccleſiâ receſſerunt.

IIII. Apoſtaſia & reiectio Iudæorum occaſio fuit vocationis Gentium ad gratioſam Chriſti cognitionem. Rom. XI. 15. *Abiectio ipſorum eſt reconciliatio mundi.* 12. *Eorum ruina, eſt opulentia mundi, & diminutio eorum eſt opulentia Gentium.* Actor. XIII. 46. *Vobis,* Iudæis, *neceſſe fuit primùm exponi ſermonem Dei: poſtquam autem repellitis, & indignos voſipſos iudicatis æternâ vita, ecce, convertimur ad Gentes, ſic enim mandauit Dominus. Conſtituite ut ſis lux Gentium, ut ſis ſaluti vſq; ad vltimas terras.* Matth. XXI. 43. *Propterea dico vobis, fore, ut tollatur a vobis regnum Dei, & detur genti quæ ferat fructus eius.*

V. Maiorum reiectio a gratiâ nihil vetat quo minus poſteri in fœdus ſingulare admitti poſsint; manet enim ob principium radix ſancta. Rom. IX. 4.

Illorum

Illorum eſt adoptio, & gloria, & legis conſtitutio, & cultus, & promiſsiones: illorum ſunt Patres, & ex quibus Chriſtus ſecundum carnem. & XI. 16. *Quod ſi primitiæ ſanctæ, ſancta etiam maſſa, & ſi radix ſancta, etiam rami.* Deinde, manet etiam in maioribus ob infidelitatem reiectis prima illa condicio ex fœdere obedientiam requirens, hoc eſt pœnitentiam, fidem, ſanctitatem, ad quam per intervalla revocantur, & quam qui præſtant, rurſum inſeruntur Eccleſiæ. II. 23. *Miſerebor lo-ruchamæ: & dicam ipſi lo-ammi populus meus es: & ipſe dicet, Deus mi.* Rom. IX. 26. *Et erit, in loco vbi dictum fuerat eis, Non populus meus vos, illic vocabuntur filij viuentis Dei,* & XI. 28. *Iudæi etiamſi quo ad Evangelium inimici ſint propter vos, tamen quod ad electionem, diliguntur ptopter Patres: nam dona & vocatio Dei ſunt ἀμεταμέλητα.* & 23. *Illi etiam ſi non permanſerint in infidelitate, inſerentur, poteſt enim Deus rurſum eos inſerere: Nam ſi tu qui ex naturali exſectus es oleaſtro, præter naturam tamen inſitus es in veram oleam, quanto magis ij qui naturales ſunt, inſerentur propriæ oleæ.* Promiſsiones autem Dei abſolutè velle intelligere, eſt fœdus euertere, & officium humanum tollere. Seruanda igitur condicio. Ea verò exprimitur Exodi XIX. 5. *Si ſedulò attendetis voci meæ, & ſervabitis fœdus meum, vtique eritis mihi peculium præ omnibus alijs populis, nam mea eſt tota terra; Voſque eritis mihi regnum ſacerdotale, & gens ſancta.*

VI. In Apoſtaſia Gentis Vniverſali nihilominus ſalvari reliquias illas quæ officium faciunt. In Diluuio Noachus cum alijs ſeptem. Geneſ. VII. &

2. Petri

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
86 H 16

2. Petri II. 5. In euerſione Sodomæ & Gomorrhæ Loth cum ſuis, Geneſ. XV. 24. Adde Rom. XI. 2. *Elias colloquens cum Deo, adverſus Iſraëlem, dicit, Domine, Prophetas tuos occiderunt, & altaria tua ſuffoderunt, & ego relictus ſum ſolus, & quærunt animam meam. Sed quid dicit divinum reſponſum? Feci ut remanſerint mihi ſeptem millia virorum, qui non flexerunt genua coram Baal.* Sic Ieſaiæ XVII. 6. *Tantum relinquetur in eo racematio, ut quum ſtringitur olea, duæ treſue baccæ in vertice ſummi rami, quatuor aut quinque in ramis ipſius fructiferæ.* & XI. 21. *Reliquum revertetur, reliquum Iacobi ad Deum fortem. Nam ſi fuerit populus tuus Iſrael ſicut arena maris, reliquum revertetur ex eo. Conſummatione præciſam faciet is qui exundat iuſtitiâ.* Rom IX. 29. *Sicut dixit* Ieſaias, I. 9. *Niſi Dominus Sebaoth reliquiſſet nobis ſemen, facti fuiſſemus ut Sodoma, & Gomorrhæ ſimiles facti fuiſſemus.* Ex quibus efficitur, Si in Gente omnes officium facerent, omnes fore ſalvandos: eventum verò non voluntate Dei antecedēte, ſed peccatis hominum impediri. Ieſa. LIX. 4. *Non eſt brevior manus Iehouæ quam ut ſervet, neque gravior eius auris quam ut audiat: ſed iniquitates veſtræ diſterminant inter vos & Deum veſtrum, & peccata veſtra faciunt ut occultet faciem à vobis, ne exaudiat.* Quia enim pauci credunt, fit quoque ut pauci ſalventur, qui propterea dicuntur reliquiæ Rom. XI. 5. Præcogniti. Rom. XI. 7. Puſillus grex. Luc. XII. 32.

Adfectiones Apoſtaſiæ perſonarum ſingularium iam ante enumeratæ ſunt in priore διορισμῷ.

ADSER-

ADSERTIO PRIORIS THEOREMATIS.

Argumenta ponemus duorum generum: ex ſcriptura, & ex ratione. Ac Scriptura quidem in hac parte tam perſpicua & vehemens eſt, tamque aſsiduè huic doctrinæ inſiſtit, ut omninò mirum mihi videatur, cuiquam eam legenti vnquam ſecus in mentem venire potuiſſe. Sed nimirum poſita Prædeſtinatione illa abſolutâ neceſſarium fuit totam ſcripturam loco movere, ut illud caput adſereretur; quo nunc ad veram mentem revocato, facilis eſt & expedita huius controverſiæ deciſio. Sed nos ad lineam & ad gradum. Sic ergo quod propoſuimus probamus.

I. A formulis ſcripturæ, quibus Apoſtaſia variè deſignatur.

Hoc enim vocat Scriptura

Auertere ſe a juſtitia. Ezechiel. XXXIII. 18. *Quum averterit ſe iustus a iuſtitia & facit iniquitatem, etiam morietur in ipsâ.*

A gratia excidere. Gal. V. 4. *Vos quicumque per legem iuſtificamini, à gratia excidiſtis.*

Deficere à Deo viuente. Heb. III. 12. *Videte nequando ſit in vllo veſtrum cor malum & infidele, ad deficiendum à Deo vivente.*

Reddi ſal inſulſum. Marci IX. 50. *Bonus eſt ſal: quod ſi verò ſal inſulſum fiat, quonam ipſum ſalietur?*

Abalienare ſe retrorſum. Ieſai. I. 4. *Ah gens peccatrix! filij corruptores! dereliquerunt Jehovam, abalienaverunt ſeſe, averterunt retrorſum: quamobrem augetis apoſtaſiam?*

Deficere à fide. I. Timoth. IV. I. *Poſterioribus temporibus*

deſciſcent quidam à fide, attendentes ſpiritibus deceptoribus.

Excidere à propria ſtabilitate. 2. Pet. III. 17. *Cauete ne illorum errore abducti, excidatis à propria ſtabilitate.*

Auerſari eum qui eſt in cœlis, quem tamen anteà cognoverint. Hebr. XII. 25. *Si illi non effugerunt, qui recuſaverunt divinitus loquentem in terra Moſen: multò magis nos, ſi eum qui de cœlis eſt auerſaremur.*

Tranſgredi & non manere in doctrinâ Chriſti. 2. Io. 9. *Quiſquis tranſgreditur nec manet in doctrina Chriſti, Deum non habet.*

Refrigeſcere. Matth. XXIV. *Et quoniam abundabit iniquitas, refrigeſcet caritas multorum: qui autem perſeverauerit vſque ad finem, hic ſalvus erit.*

Excidere. Apocal. II. 5. *Memor eſto vnde excideris, & reſipiſce, & priora opera facito.*

Extinguere Spiritum. I. Theſſ. V. 19. *Spiritum ne extinguite.* Fit autem illud, 1. Suffocando igniculos bonarum ſuggeſtionum, & pias compellationes opprimendo. Actor. VII. *Vos ſemper ſpiritui ſancto reſiſtitis.* 2. Perſeverando in peccato, *Sanctus enim Spiritus diſciplinæ fugit dolum, & abſiſtit à ratiocinationibus eorũ qui vacui ſunt intelligẽtiâ. Sap. 1. 8.*

Naufragium fidei facere. 1. Tim. 1. 19. *Expulſa bona conſcientia nonnulli naufragium fidei fecerunt.*

Abijcere fiduciam. Hebr. X. 35. *Ne abijcite fiduciam veſtram.*

In ſpiritu incipere, in carne deſinere. Gal. III. 3. *Vſque adeone dementes eſtis, vt quum ſpiritu inceperitis nunc in carne deſinatis?*

Subducere ſe. Heb. X. 38. *Juſtus ex fide vivet: quod ſi verò ſe ſubduxerit, non probabit eum anima mea.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
86 H 16

Abnegare Dominum. 2. Petri II. 1. *Inter vos erunt falſi Doctores, etiam Dominum qui illos mercatus eſt, abnegantes.*

Idem quoque indicat Sp.S. per metaphoras: ut quum dicit argentum verſum in ſcoriam. Ieſai. 1. 22. *Argentum tuum abijt in ſcorias, merum tuum inſpurcatum eſt aquâ.*

Vineam degeneraſſe contra votum agricolæ. Ierem. II. 21. *Ego plantavi te optimam vitem, totum ſemen fidele, quomodo ergo mutata es mihi in degeneres palmites vitis alienæ?* Ieſai. v. 1. *Vinea eſt dilecto meo in clivo uberrimo, quam circummunivit & elapidavit, conſevitque generoſis vitibus, & exſtruxit turrim in eâ: ſed quum exſpectaſſet ut ederet uvas, edidit labruſcas.*

Eodem referunt nonnulli id quod dicit Dominus Matthæi XXIV. 29. *Stellas de cælo lapſuras.*

Atq; ex his exſtruimus primam Demonſtrationẽ.

Qui poteſt excidere, avertere ſe à juſtitiâ, à gratiâ excidere, deficere à Deo Vivente, reddi ſal inſulſum, abalienare ſeipſum, deficere à fide, excidere à propriâ ſtabilitate, averſari eum qui eſt in cælis, extinguere ſpiritum, naufragium fidei facere, abijcere fiduciam, ſubducere ſemetipſum, abnegare Dominum, reddi ſcoria, degenerare in vitem alienam, de cælo decidere, is poteſt juſtitiam ſuam priorem deſerere.

Atqui iuſtus aliquis illud poteſt,

Ergo iuſtus poteſt juſtitiam ſuam deſerere.

Vel ſic, *Si iuſtus non poſſet deſerere juſtitiam, nihil ſignificarent hæ formulæ.*

Atqui abſurdum eſt hoc dicere, Ergo

Iuſtus poteſt juſtitiam ſuam deſerere.

II. A Teſtimonio ſcripturarum.

Hæ1. Factum narrant, in Angelis. Iudæ. 6. *Angeli qui non ſervata ſua origine reliquerunt ſuum domicilium, judicio magni illius diei vinculis æternis ſub caligine reſervantur,* & 2. Petri 11. 4.

In primis noſtris parentibus : Adam enim quum ſanctus eſſet & ad imaginem Dei conditus, tamen ab vxore ad ruinam pellectus eſt : ſed & vxorem ſanctam *ſeduxit ſerpens calliditate ſuâ*, 2. Cor. x1. 3. atque ita primi parentes ſe & omnem poſteritatem ſuam, quantum in ſe fuit, divinis illis donis orbaverunt.

De Saule quid refert Scriptura? 1. Sam. 1x. 2. *Kiſſo filius erat cui nomen Saul* בָּחוּר וָטוֹב *electus & bonus. Et non erat de filijs Jſrael bonus præ illo.* De hoc tamen c. xv. 11. *legitur. Pœnitet quod conſtituerim Saul Regem, quia averſus eſt à ſequendo me.* 17. *Quum parvulus videbaris in oculis tuis, caput Iſraëlis factus es.* & 26. *Tu ſpreviſti verbum Iehovæ, ideo ſprevit te Jehova, ne ſis Rex ſuper Iſraelem.* Cyprian. epiſt. v11. *Parum eſt adipiſci aliquid potuiſſe, plus eſt quod adeptus es poſſe ſervare : ſicut & fides ipſa, & nativitas ſalutaris, non accepta, ſed cuſtodita viuificat. Salomon denique & Saul & cæteri multi quamdiu in vijs Domini ambulaverunt, datam ſibi gratiam tenere potuerunt : recedentes ab diſciplina Dominica, receßit & gratia. Perſeverandum nouis eſt in arcto & in anguſto itinere laudis & gloriæ.* Spectemus *Hymenæum & Philetum.* 2. Tim. 11. 17. Spectemus *Demam*, quem Apoſtolus dicit *deſertorem factum.* 2. Tim. 1v. 10. Dorotheus verò etiam ſimulachrorum ſacerdotem Theſſalonicæ: vide ipſum in Synopſi. Spectemus *Nicolaum* ex Diacono hæreticum. Sed exempla iſta ſpecioſè ſibi videntur quidam eludere, quum dicunt, neminem iſtorum habuiſſe veram iuſtitiã, fidem ſanctita-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
86 H 16

tem: ſed hos omnes fuiſſe reprobos; Alios verò qui poſt defectionem reſtituti ſunt, docent non potuiſſe non reſtitui, quum eſſent electi. Quorum commentum non tantùm revocat poſtulatum primum, retunditurque abſurdo primo, & argumento quarto claſsis ſeptimæ, & tota poſterioris Problematis tractatione, ſed etiã exemplo Salomonis regis qui quum Deo carus fuerit, eiuſque ſpiritus plenus, & librorum Canonicorũ autor, & Templi dedicator & typus Chriſti, tamen poſteà cor ſuum per mulieres alienigenas paſſus eſt à Deo abalienari, adeò ut de ipſius ſalute etiam illi dubitent, qui maximè ſententiam noſtram oppugnant.

De alijs B. Petrus 2. ep. cap. 11. 20. *Satius fuiſſet eis, nunquam cognoviſſe viam iuſtitiæ, quam cognita illâ, regredi à ſancta doctrinâ illis traditâ: ſed accidit eis quod vero proverbio dici ſolet; Canis reverſus eſt ad ſuum ipſius vomitum, & ſus lota ad volutabrum cœni.*

2. Eædem factum deplorant. Ieſ. 1. 21. *Quomodo effecta eſt mereretrix urbs fidelis? & pleniſsima iure in quâ iuſtitia pernoctabat, ea nunc homicidarum plena eſt?*

3. Eædem factum exprobrant. Ieſ. xxx. 1. *Væ filij deſertores.* Ierem. 11. 13. *Duo mala fecit populus meus: me dereliquerunt ſcaturiginem aquarum perennium, & foderunt ſibi ciſternas fractas, quæ non capiunt aquam.*

4. Et futurum prædicunt. 2. Petri 11. 1. *Fuerunt autem & Pſeudoprophetæ olim in populo, ut etiam inter vos erunt falſi doctores, qui ſubintroducent hæreſes extiabiles, etiam Dominum qui illos mercatus eſt, abnegantes.* Adde 1. Tim. IV. 1. *Spiritus autem diſertè dicit, fore poſterioribus temporibus, ut deſciſcant quidam à fide, attendentes ſpiritibus deceptoribus, ac doctrinis dæ-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
86 H 16

moniorum. Et Actor.xx. 30. *Ex vobiſipſis exorituri ſunt, qui loquentur perverſa, ut diſcipulos poſt ſe abſtrahant.*

Exſtruatur ex iſtis ſecunda Demonſtratio.

Quod Angelis beatis, quod Adamo & Evæ verâ iuſtitiâ & ſanctitate præditis accidit, quod ſcripturæ factum in alijs narrant, deplorant, culpant, futurum prædicunt, id omninò fieri poteſt.

Iuſtos iuſtitiam deſeruiſſe, teſtantur Scripturæ in Angelis, Adamo & Evâ, alijs, in quibus hoc narrant, deplorant, culpant, futurum prædicunt, Ergo, Iuſtus poteſt iuſtitiam ſuam deſerere.

Vel ſic *Si iuſtus non poſſet deſecere iuſtitiam ſuam, iam neque Angeli ſancti, neque primi noſtri parentes in paradiſo eam deſeruiſſent, neque idem in alijs quoque ſanctis narrarent ſcripturæ factum, neque deplorarent, neque futurum prædicerent.*

Atqui Angelos ſanctos lapſos certum eſt, itemque parentes noſtros primos; idque in alijs quoque ſanctis narrant factum ſcripturæ, &c. Ergo Sanctus aliquis poteſt deſerere iuſtitiam ſuam.

III. A naturâ finis, qui condicionaliter proponitur.

Enimuerò fœdus Dei non eſt eiuſmodi, ut hominem amare velit & ſalvare ſimpliciter, ſed ut velit obedientem, credentem, iuſtum: Amat enim obedientiam Deus magis quam creaturam; imò creaturam amat propter obedientiam. Ceſſante igitur obediētiâ, ceſſat Dei obligatio. Ezech. xvii. 15. *Qui rebellaverit contra Iehovam anne proſperabitur? an eripiet ſe qui facit iſta? qui irritum fecit fœdus,*

etiamne

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
86 H 16

etiamne eripiet ſe? Apparet autem hoc

1. In præmijs 1.Cor.xv.2. *Vos per Euangelium ſervamini, ſi retinetis quo ſermone vobis Evangelizaverim; niſi fruſtrà crediditis.* Rom.11.7. *Iis qui perſtant, quæruntque boni operis gloriam & honorem, & incorruptibilitatem, reddet* Deus *vitam æternam.* Hebr.111.7. *Nos ſumus domus Dei, ſi fiduciam & ſpem illam de qua gloriamur, ad finem vſque firmam tenuerimus.*

2. In pœnis. 2. Chron. xv. 2. Azarias Propheta actus ſpiritu Dei, ſic alloquitur Aſam regem. *Iehova fuit vobiſcum, dum vos fuiſtis cum eo: & ſi requiretis eum, præſto erit vobis: ſin dereliqueritis eum, derelinquet & ipſe vos.* Ieſa. 1. 19. *Si acquieſcitis, ut audiatis; bonis huius terræ fruemini: ſin autem renuatis atque rebelletis, gladio conſumemini: nam os Iehovæ loquutum eſt.*

Damna autem atque incommoda proponuntur iſta.

1. Deus nullam habebit prioris ipſorum juſtitiæ rationem. Ezech.xxxiii.13. *Quum dixero iuſto, omninò victurus es: ſi ipſe confiſus iuſtitiæ ſuæ fecerit iniquitatem, omnia iuſtè facta ipſius non memorabuntur, ſed in iniquitate illa ſua quam facit morietur.*
2. Reprobatio. Hebr.x.38. *Iuſtus ex fide vivet: at ſi ſe ſubduxerit, non probat eum anima mea,* ex Abac. 11.4.
3. Abnegatio abnegantium Dominum, 2. Tim.11. *Si nos Deum negaverimus, & ille abnegabit nos.* Lucæ. ix.26. *Quem puduerit mei & meorum ſermonum, eius pudebit filium hominis, quando venerit cum gloria ſua & Patris, ſanctorumque Angelorum.*
4. Mors. Ezech. xxxiii. 18. *Quum averterit ſe iuſtus à iuſtitia ſua, & facit iniquitatem, etiam moriturus eſt in iſtis.* Ioan.xv.2. *Omnem palmitem in me non ferentem*

fructum

fructum, tollit Pater. Niſi quis in me manſerit, eiectus extra vineam ſtatim ut palmes areſcet: deinde coguntur iſti palmites, & in ignem abijciuntur & ardent. Ro. VIII. 12. *Nempe igitur, fratres, debitores ſumus non carni, ut ſecundum carnem vivamus: ſed ſpiritui. Nam ſi ſecundum carnem vixeritis, futurum eſt ut moriamini.* Etiam corporis in hoc ſeculo. Sirac. XXVI. 36. *Si quis revertitur à iuſtitia ad peccatum, hunc comparabit Dominus, ut cædatur gladio.*

5 Irreparabile exitium. Hebr. VI. 4. *Fieri non poteſt, ut qui ſemel fuerint illuminati, guſtaverintque donum cæleſte, & particeps facti fuerint Spiritus ſancti, guſtaverintque bonum Dei verbum, ac virtutes futuri ſeculi, ſi prolabantur, denuò renoventur per reſipiſcentiam, ut qui rurſum crucifigant ſibimetipſis Filium Dei, & ad ignominiam exponant.*

Ex his tertiam Demonſtrationem hoc pacto formamus.

Qui poteſt fine ſuo excidere, ita ut Deus nullam prioris ipſius iuſtitiæ habeat rationem, fiatq; reprobos & in mortem animæ pariter & corporis, inque irreparabile exitium incurrat, is poteſt iuſtitiam finaliter deſerere.

Juſtus poteſt fine ſuo excidere, vtpote qui tantùm condicionaliter, non verò abſolutè ipſi propoſitus eſt, & quidem ita poteſt excidere, vt Deus nullam prioris ipſius iuſtitiæ habeat rationē, &c. Ergo Iuſtus poteſt iuſtitiam ſuā deſerere.

Vel ſic, *Si iuſtus non poſſet iuſtitiam ſuam deſerere, finis ipſi non eſſet condicionalis, ſed neceſſarius, neque vnquam contingeret ut Deus poſthabitâ priore ipſius juſtitiâ illum reprobum*

bum mortiſque æternæ reum pronunciaret,
Atqui finis non eſt neceſſarius, ſed eſt condicionalis, fitq; interdum ut Deus poſthabitâ priore iuſti juſtitiâ illum reprobum, mortiſque æternæ reum pronunciet: **Ergo** *Iuſtus poteſt juſtitiam ſuam deſerere.*

IV. A iuſto metu ſanctorum.

Sancti ab omni æuo credentes ſe alioſque poſſe excidere, ſumpto à periculo argumento, ſe alioſque ad perſeverantiâ exhortati ſunt. Paulus de ſe 1. Cor. IX. 27. *Ego contundo corpus meum, & in ſervitutem redigo, ne quo modo quum alijs prædicauero, ipſe reprobus fiam.* Chriſtus ad Apoſtolos Matth. V. 13. *Vos eſtis ſal terræ: quod ſi verò ſal infatuetur, quonam ſalietur? ad nihil valet amplius, quam ut eijciatur foras, & conculcetur ab hominibus.* Ioan. XV. 5. *Ego ſum vitis, vos palmites, Niſi quis in me manſerit, eiectus forâs ſtatim ut palmes areſcet: deinde coguntur illi palmites, & in ignem abijciuntur & ardent.* Philip. II. 14. *Cum timore & tremore veſtram ipſorum ſalutem operamini.* Atque hæc cauſſa eſt, cur B. Paulus ſub finem vitæ tanquam ſuperatis cautibus ſecurus ſui euentus exclamet 2. Tim. IV. 7. *Certamen illud præclarum decertaui, curſum peregi, fidem ſeruaui: quod reliquum eſt, repoſita eſt mihi iuſtitiæ corona.* Sed iam olim iſta genus humanum obſedit veſania, pleriſque beatitudinis coronam ſine pulvere & ſudore exoptantibus, & ſecuritatem ac certitudinem extremi finis quærentibus, ſine vlla obſequij & defatigationis moleſtiâ. Certè antiquus hic inter Iudæos error fuit. Putabant, eam eſſe vim fœderis & promiſſionum divinarum, ut Deum ſibi devinctum haberent in æternum, etiam citra officij obſequium: quem ipſorum errorem

rorem Prophetæ multis & prolixis concionibus inſe-
ctantur. Eadem quoque amentia egit Corinthios, qui
quum fœdus haberent Chriſti ſanguine confirmatum,
& dona varia Sp. ſancti, & Sacramenta ſiue ſigna fœde-
ris, ſecuri agebant, tanquam ſi nunc in portu nauigarét,
expertes diſcriminū: quos Apoſtolus grauiſsimis verbis
propterea reprehendit: *Nolim*, inquit, *vos ignorare, fratres,
Patres noſtros omnes etiã baptizatos eſſe, & eandē quoq; eſcam ſpi-
ritualem ediſſe, & omnes eundem potum ſpiritualem bibiſſe: & ta-
men pleroſque eorum non approbauit Deus, proſtrati enim ſunt in
deſerto. Hæc autem typi noſtri fuerunt, ut ne cōcupiſcamus res ma-
las ſicut illi concupiverunt, neque ſcortemur, ſicut quidam eorum
ſcortati ſunt, & ceciderunt vno die viginti tria millia: neque ten-
temus Chriſtum ſicut quidam eorum tentaverunt, & à ſerpentibus
perierunt. Hæc autem ſcripta ſunt ad noſtram admonitionem, in
quos fines ſæculorum occurrerunt. Proinde, qui videtur ſtare, ca-
ueat ne cadat.* 1. Cor. x. Idem quoque Apoſtolus prævi-
dens Gentiles converſos eadem opinione poſſe infaſ-
cinari, monet eos ne efferantur adverſus Iudæos, ſed ip-
ſorum exemplo diſcant, fieri poſſe ut & ipſi reijciantur.
Rom. XI. 19. *Dices*, inquit, *defracti ſunt rami, ut ego infererer.
Rectè: per infidelitatem defracti ſunt, tu vero per fidem ſtas: ne
efferter animo, ſed time. Nam ſi Deus naturalibus ramis non peper-
cit, vide ne tibi quoque non parcat. Vide igitur benignitatem Dei
in te, ſi permanſeris in Dei benignitate: quod ſi verò non perman-
ſeris, etiam tu excideris.* Atque ad hunc ſanctum timorem
ſe & credentes Hebræos revocat B. Paulus, quum ait,
*Metuamus igitur, nequando derelicta promiſsione introeundi in re-
quiē eius, videatur aliquis ex nobis fuiſſe fruſtratus. Etenim & no-
bis euangelizatū eſt, ſicut & illis: at nō profuit illis auditus ſermo, ut*

qui

qui fide mixtus non fuerit in ipſis qui audiverant. Hebr. IV. I.

Ex his inſtituatur quarta demonſtratio hâc formâ.

Qui metu reiectionis in officio continetur, is poteſt de ſtatu ſuo excidere,

Sancti metu exciſionis ſe alioſque in officio continent, Ergo

Sancti poſſunt de ſtatu ſuo excidere.

Vel ſic, *Si ſancti non poſſent excidere ſuo ſtatu, irritus eſſet ipſorum de hac re metus, & frivolæ exhortationes quas ad alios ex hoc loco dirigunt,*

Sed non eſt irritus eorum metus; non ſunt vanæ exhortationes,

Ergo, Sancti poſſunt ſuo ſtatu excidere.

V. A cauſſis apoſtaſiam conciliantibus per ſe vel per accidens.

Nemo repente fuit turpiſsimus; neq; ad ſummæ improbitatis terminum ſubito ſaltu pervenitur; gradus quoſdam ſibi fecit impietas, ſed verè Gemonios: hi ſunt.

1. Peccata contra conſcientiam. 1. Tim. 1. 19. *Retine fidem & bonam conſcientiam, qua repulsâ, nonnulli fidei naufragium fecerunt* Rom. 1. 21. *Propterea quod quum Deum cognoverint, tamen ut Deum non glorificaverunt, neque gratias ipſi egerunt, idcircò tradidit eos Deus cupiditatibus cordium ipſorum.* Etſi verò ibi non agat B. Paulus de ijs qui ad Chriſtum converſi ſunt, tamen valet illius dicti veritas etiam in ijs qui ad Chriſtum converſi ſunt; quandoquidem non eſt alia ratio officij noſtri circà gratiam quâlibet poſteriorem, quam quæ eſt circà primam: vtraque enim contrà conſcientiam ſpernitur; vtriuſque contemtu extrema & de-

ſperata Apoſtaſia procuratur.

2. Securitas, languor, torpor. Matth. XIII. 12. *Quiſquis non habet, etiam quod habet, tolletur ab eo.* & XII. 43. *Impurus ſpiritus quum exierit ab homine, ſi domum vnde ſemel eiectus eſt, rediens, offendat vacuam & ornatam, vadit, accipitque ſecum ſeptem alios ſpiritus deteriores ſe, qui ingreßi omnes habitant illic, fitque vltima condicio hominis illius deterior priore.* Rurſum XIII. 19. *Si quis audit ſermonem de regno & non animadvertit, venit ille malus, & rapit quod ſatum eſt in corde ipſius.*

3. Occaſionum oblatarum contemptus. Luc. XIII. *Multi aliquando optabunt introïre, & non poterunt. Nam quum ſurrexerit paterfamilias, & occluſerit oſtium, & cœperint qui foris ſtabunt pultare, & dicere, Domine, Domine, aperi nobis, Reſpondẽs ille, dicet. Neſcio vnde vos ſitis: abſcedite à me, omnes operarij iniquitatis.* 2. Cor. VI. 2. *Hortamur vos, ne fruſtrà gratiam Dei acceperitis. Dicit enim Deus, Tempore accepto exaudivi te, & in die ſalutis occurri tibi. Ecce nunc tempus acceptum, ecce nunc dies ſalutis.* Hebr. III. 12. *Videte, Fratres, ne quando ſit in vllo veſtrum cor malum, & infidele, deficiendo à Deo viuo: ſed exhortamini alij alios quotidie, quantiſper appellatur hodiernus dies. Dum dicitur, hodie ſi vocem eius audieritis, ne obdurate corda veſtra.* Ioan. XII. 35. *Adhuc ad paruum tempus lux vobiſcum eſt: ambulate dum lucem habetis, ne tenebræ vos deprehendant: nam qui ambulat in tenebris, neſcit quò vadat. Dum lucem habetis, redite in lucem, ut Filij lucis ſitis.*

4. Horror perſecutionum. Matth. XIII. 20. *Sunt qui ſermonem audiunt, eumque cum gaudio excipiunt: ſed ortâ oppreßione vel perſecutione propter ſermonem, ſtatim deficiunt: hi ſunt temporarij.* 2. Tim. IV. 16. *In prima meâ defenſione nemo mihi adfuit, ſed omnes me deſeruerunt: ne illis imputetur.* 10. *Demas me dereliquit,*

liquit, amplexus præſens ſæculum. Lucas mecum eſt ſolus.

5. Amor voluptatum & illecebrarum carnis. 2. Petri II. 18. *Per carnis cupiditates laſciuas ineſcant eos qui verè effugerunt eos qui in errore verſantur.* Hoſeæ IV. 11. *Scortatio, vinumque & muſtum intercipit mentem.* Sirac. XIX. 2. *Vinum & mulieres apoſtatare faciunt ſapientes.* Luc. XXI. 34. *Cauete vobis nequando gravventur corda veſtra crapula & ebrietate, & curis huius vitæ, & repente vobis ſuperueniat dies ille.* Exemplo ſint Salomon 1. Reg. XI. & Abſalom.

6. Studium divitiarum. Matth. XIII. 22. *Qui ſermonem quidem audit, ſed ſollicitudine ſeculi huius & fallacia diuitiarum ſuffocat ſermonem; hic fit infructuoſus.* 1. Timoth. VI. 10. *Radix omnium malorum eſt amor pecuniæ: quam quidam dum appetunt, aberrarunt à fide, & ſeipſos vndiquaque transfixerunt doloribus multis: nam qui volunt diteſcere incidunt in tentationem & laqueum, & cupiditates multas amẽtes & damnoſas, quæ demergũt hominem in exitium & perniciem.* Certè hæc ipſa efficit, ut multi ex credentibus fiant hypocritæ, ex hypocritis hoſtes, deriſores, blaſphemi, perſecutores, quorum in numerum Iudam reponendum puto: hic enim initio videtur crediddiſſe: nam & relictis rebus ſuis omnibus inter Apoſtolos conſcriptus eſt, Matth. x. & pro ipſo æquè atque pro alijs orauit Dominus, Lucæ VI. 12. & Chriſto datus eſt à Patre, Ioan. XVII. 12. & Chriſtum confeſſus eſt, & docuit, Matth. x. 5. 6. & Chriſto inſitus fuit, Ioan. XV. 2. Quumq; *omnis qui Chriſto à Patre datur, veniat ad ipſum, venientem autem ipſe non eijciat,* Ioan. VI. 37. conſequens eſt, eum initio templum quoque fuiſſe Spiritus ſancti. Quid? quod illi quoque promiſsio facta eſt gloriæ in vita æternâ maioris? Matth. XIX. 28. *Amen dico vobis, vos qui ſecuti*

eſtis me in regeneratione, quum ſederit filius hominis in throno gloriæ ſuæ, ſedebitis vos quoque in thronis duodecim, iudicantes duodecim tribus Iſrael. Et tamen ille ipſe Iudas initio auaritiæ ſuccubuit: itaque dicitur *fuiſſe fur, & quæ in loculos inijciebantur, clam ſubduxiſſe.* Ioan. XII. Sed furtis ſuis curam pauperum prætendebat, dicens. *Quare hoc vnguentum non vænijt trecentis denarijs, & datum eſt pauperibus?* quum tamen pauperum ipſi cura nulla eſſet; Atque hoc nomine reprehenſus à Domino odiũ aduerſus ipſum concepit. Ingreſſus igitur eſt Satanas in cor ipſius. Luc. XXIII. 3. pactuſque cum Sacerdotibus quæſiuit opportunitatem tradendi eum. Ac tandẽ tradidit. Præſciuit autem hæc præuiditque ille qui *nouit omnes, & cui non eſt opus ut quiſquam teſtetur de homine, quum ipſe ſciat quid ſit in homine,* Ioan. II. 25. itaque iam ante prædixit, inter duodecim illos lateri ſuo adlectos, qui ipſum confeſſi fuerant eſſe filium Dei viuentis, vnum eſſe Satanam. Ioan. VI. 70. *Nonne ego vos duodecim elegi? & tamen vnus ex vobis eſt Diabolus.* Ita ergo factum, ut Iudas reſectus fuerit à corpore Chriſti. Cur? ob infidelitatẽ? Ro. XI. 20. Propterea Chriſtus ipſe perniciei ipſius cauſſam à ſe auertit. Ioan. XVII. 12. *Quum eſſem cum eis in mundo, ego cuſtodiui eos per nomen tuum: quos dediſti mihi, eos ego cuſtodiui; & nemo ex ijs perijt, niſi filius perditionis.* Et Apoſtolis minatur, ſi ipſi deficiant, fore ut ſimiliter quoque reſecẽtur. Ioan. XV. 6. Quod ergo Iudas filius perditionis fuit, id factum non eſt voluntate Dei antecedente, ſic enim eſt nullus; ſed conſequente, dum auaritiâ abreptus Dominum ſuum, & fideles ipſius admonitiones odiſſe cæpit, ac tandem in tam fœdam apoſtaſiam incidit, ut omninò ipſi præſtiterit nunquam naſci,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
86 H 16

quam ita graviter peccare. Matth. xxxi. 24.

7. Deceptionum fides. Matth. xxiv. *Surgent Pſeudochriſti, & Pſeudoprophetæ, & edent ſigna magna & miracula, adeò ut ſeducant, ſi fieri poßit, etiam electos*, quo loco condicionalis particula non ponit abſolutam impoſsibilitatem, ſed difficultatem duntaxat, & τὸ ἀπροσδόκητον, ſicut Gal. iv. 15. Magna enim eſt deceptionum vis. 2. Cor. xi. 3. *Metuo ne quo modo ſicut ſerpens ille Euam ſeduxit calliditate ſuâ, ita corruptæ mentes veſtres degenerent à ſimplicitate ea quæ eſt in Chriſto.* 2. Theſ. ii. 10. *Pro eo quod amorem veritatis non receperunt, propterea mittet illis Deus efficaciam deceptionis, ut credant mendacio.*

8. Exempla praua & contubernia malorum. 1. Cor. xv, 33. *Ne errate, Mores bonos commercia corrumpunt mala.* Gal. v. 8. *Paulum fermenti totam maſſam fermentat.* Sirac. xiii. 1. *Qui tangit picem inquinabitur ab ea.* Adde Pſal. 1. 1. Et Matth. xxiv. *Quoniam abundabit iniquitas, refrigeſcet charitas multorum*, imprimis verò officiunt exempla potentiorum. Atque hoc eſt quod toties de Ieroboamo Filio Nebath refert ſcriptura, illum feciſſe peccare Iſraelem.

9. Elatio & contemptus fratrum. Rom. xi. 18. *Ne gloriare, ne effertor, ſed time: Nam ſi naturalibus ramis non pepercit Deus, vide ne tibi quoque non parcat.*

10. Malignitas animi aduerſus comminationes divinas. Deut xxix. 18. *Ne ſit in vobis radix proferens cicutam aut abſinthium, neve ſit quiſquam qui quum audiverit verba adiurationis huius, benedicat ſibi cum animo ſuo, dicendo, Pax erit mihi quum ex ſententia animi mei ambulavero. Non acquieſcet Jehova ut condonet ei, ſed tunc fumante ira Iehovæ & zelo eius contra virum illum, incumbet ei omnis adiuratio quæ ſcripta eſt in libro hoc,*

dele-

delebitque Iehova nomen eius ſub cælo.

11. Neglectus pœnitentiæ. Apoc. II. 5. *Reſipiſce & priora opera facito: ſin minus, veniam adverſum te citò, & movebo candelabrum tuum è loco ſuo, niſi reſipueris.*

12. Induratio cordis. Pſal. xcv. *Hodie ſi vocem eius audiveritis, nolite indurare corda veſtra.* Hebr. III. 13. *Exhortamini alij alios in ſingulos dies, quantiſper hodiernus dies nominatur, ut ne quis veſtrum induretur fraude peccati: Chriſti enim participes facti ſumus, ſi modò principium fundamentalis doctrinæ firmum tenuerimus uſque ad finem.*

13. Lucta adverſus Spiritum. Actor. VII. 51. *Duri cervice, & incircumciſi corde & auribus: vos ſemper Spiritui ſancto obnitimini: ſicut patres veſtri, ita & Vos. Illi verò audientes hæc, frendebant cordibus ſuis, & ſtridebant dentibus in ipſum.* 1. Theſſ. V. 19. *Spiritum ne extinguite.* Epheſ. IV. 30. *Ne adficite triſtitia Spiritum illum ſanctum Dei, per quem obſignati eſtis in diem redemptionis.*

Inter cauſſas per accidens referri poſſunt, 1. Res ſecundæ. Proverb. xxx. 8. *Divitias ne des mihi: ale me cibo demenſi mei. Ne ſaturatus ementiar ac dicam, Quis eſt Iehoua?* Deut. VIII. 12. *Quum comedens ſatiatus fueris, & domos bonas exſtruxeris ac inhabitaueris, armentaque tua & greges tui aucti fuerint, ac argentum & aurum auctum fuerit tibi, ne efferat ſe animus tuus, & obliuiſcaris Jehovæ Dei tui, Neque dicas cum animo tuo, virtus mea & robur manus meæ paravit mihi opulentiam hanc: ſed recordaberis Jehovæ Dei tui. Erit enim, ſi omninò oblitus Jehovæ Dei tui ſequutus fueris Deos alienos, fore, ut omninò pereatis.* Ezech. XVI. 49. *Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ ſororis tuæ, excellentia, ſaturitas cibi, & tranquillitas quieta fuit ipſi & filiabus eius, & manum pauperis & egentis non confirmavit.* Hoſeæ XIII. 6. Simulac

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
86 H 16

mulac ſaturati ſunt, elatus eſt animus eorum: idcircò obliti ſunt mei. Deuter.XXXII.15. *Saginatus Ieſchurun recalcitravit, ſaginatus es, obeſatus es, adipem obduxiſti: deſeruit Deum qui magnificauerat ipſum, & vilipendit rupem ſalutis ſuæ.* 2. Chron. XII. 1. *Rechabeam quum ſtabiliuiſſet regnum, quumque confirmatus eſſet, reliquit legem Iehovæ, & totus Iſraël cum eo.*

Libertas Chriſtiana. Gal.v.13. *Vos ad libertatem vocati iſtis fratres: tantum ne accipite libertatem in occaſionem carni: ſed ex charitate ſeruite alij alijs.* 1.Cor.VIII.9. *Vide ne libertas illa veſtra offendiculo ſit ijs qui infirmi ſunt.* Abuſum enim libertatis neceſſariò ſcandala conſequuntur. Rom.XIV.15. *Si propter eſcam frater tuus triſtitia afficitur, non iam ſecundum charitatem ambulas. Ne eſca tuâ illum perdito, pro quo Chriſtus mortuus eſt,* & 1. Cor. VIII. 11. *An ob tuam ſcientiam frater qui infirmus eſt, propter quem mortuus eſt Chriſtus, peribit?*

Ex his iſtiuſmodi exſtruatur apodixis quincta,

Qui poteſt peccare contrà conſcientiam, torpeſcere, occaſiones oblatas gratiæ contemnere, horrere ad perſequutiones, illecebris voluptatum tranſuerſo curſa rapi, ſtudio diuitiarum ſuffocare ſermonem, deceptionibus fidem adhibere, æmulatione & contemtu fratrum laborare, ac tandem negligere pœnitentiam, indurare cor, & obniti Spiritui ſancto, is poteſt juſtitiam priorem deſerere,

Atqui iuſtus aliquis hæc omnia poteſt, *Ergo*

Iuſtus poteſt iuſtitiam priorem deſerere.

Vel ſic, *Si iuſtus non poſſet deſerere juſtitiam, nunquam peccaret contra conſcientiam, nunquam torperet, occaſioneſque gratiæ oblatæ negligeret, non horreret ad perſequutiones: non abriperetur æſtu voluptatum, &c.*

Sed iuſtus hæc ſæpè experitur, ſemper autem poteſt, *Ergo*

VI. A cauſſis apoſtaſiam auertentibus.

Hæ ſunt duplices, Deus & Homo: ita tamen ut homo non niſi actus agat. 1. Cor. XV. 10. *Gratia Dei ſum id quod ſum, & gratia eius erga me non fuit inanis, ſed amplius quam illi omnes laboraui: non ego tamen, ſed gratia Dei quæ mecum eſt.* Actus Dei varios recenſuimus Axiomate III. & IV. Sed de actu Dei nulla eſt controuerſia: hoc enim quæritur, An homo poſsit Dei actioni non reſpondere, ipſumque deſerere? quod nos quidem fieri poſſe variè hactenus demonſtrauimus. Supereſt argumētum vnum, petitum ab enumeratione illorum, quibus Apoſtaſia vitari poteſt: nam quorum obſeruatione vitatur hoc malum, eorum neglectu atque intermiſsione accerſi illud atque procurari neceſſe eſt. Vitatur autem iſtis,

1. Studio integræ conſcientiæ. 1. Tim. 1. 19. *Retine bonam conſcientiam, qua repulſa, nonnulli naufragium fidei fecerunt.*

2. Cura & attentâ beneficiorum diuinorum obſeruatione. Ioan. V. 18. *Qui genitus eſt ex Deo conſeruat ſemetipſum, & Malus ille non tangit eum.* 2. Timoth. 1. 6. *Admoneo te, ut exſuſcites donum Dei quod eſt in te.* Matth. XIII. *Habenti dabitur.* 2. Tim. 1. 14. *Præclarum depoſitum ſerua.* IV. 14. *Ne negligito donum quod in te eſt. Hæc exerce, in his eſto, ut tuus profectus manifeſtus ſit inter omnes.*

3. Scripturarum ſacrarum lectione & meditatione. 1. Tim. 13. *Attende lectioni, exhortationi, Doctrinæ. Idcircò enim inſpirata eſt Scriptura, ut perfectus ſit homo Dei, ad omne opus bonum perfectè inſtructus.*

4. Sanctorum exhortationibus. 1. Cor. XV. 58. *Itaque*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
86 H 16

fratres mei dilecti, firmi eſtote, immoti, abundantes in opere Domini ſemper, quum ſciatis laborem veſtrum non eſſe inanem in Domino. 2. Paral. xx. 20. *Firmè credite Iehovæ Deo veſtro.* Et verum eſt illud, σημφερτῆ ἀρετῆ κρείσσων.

5. Precibus & vigilijs. Matth. xxvi. 41. *Vigilate & orate ne introeatis in tentationem: Spiritus quidem promptus eſt, ſed caro infirma.* Atque huc pertinet precatio, *Ne nos inducas in tentationem, ſed libera nos à malo.* Hoc eſt, ut recte explicat Catecheſis, *Quoniam infenſiſsimi noſtri hoſtes, Satan, mundus, & noſtra ipſorum caro nos indeſinenter oppugnant: tu nos ſuſtenta, & Spiritus tui robore firma, ne in hoc ſpirituali certamine ſuccumbamus, ſed tantiſper illis fortiter reſiſtamus, donec integram tandem victoriam obtineamus.* Eodem quoque ſpectat illud ex Pſalmo votũ. xxix. 18. *Serua in ſeculum figmentum cogitationum cordis populi tui.* Has autem ſanctorũ preces certum eſt exaudiri à Deo: nam ut eſt Pſalmo cxliv. *Prope eſt Dominus omnibus timentibus eum, omnibus inuocantibus eum in veritate* Matt. vii. 11. & Luc. xi. 13. *Si vos qui eſtis mali, noſtis bona dona dare liberis veſtris, quanto magis Pater veſter cœleſtis dabit Spiritum ſanctum petentibus ab eo?* Ieſai. lviii. 9. *Tunc inuocabitis, & dominus exaudiet. clamabis, & dicet, Ecce adſum.*

6. Sollicito & ſancto timore. Philip. ii. 14. *Cum timore & tremore operamini ſalutem veſtram.* 1. Cor. x. *Qui videtur ſtare, caueat ne cadat.* Ieſai. lxvi. *Ad quem reſpiciam niſi ad contritum ſpiritu, & trementem ſermones meos?* Rom. xi. 18. *Ne gloriare, ne effertor, ſed time.*

7. Fide. 1. Petri 1. 5. *Nos virtute Dei cuſtodimur per fidem, ad ſalutem quæ parata eſt patefieri tempore vltimo.*

8. Examine ſui anxio. 2. Cor. xiii. 5. *Voſmetipſos tentate, an ſitis in fide: voſipſos probate. Annon agnoſcitis voſmetipſos,*

ipſos, & Ieſum Chriſtum in vobis eſſe? niſi forte reprobi eſtis.

DEMONSTRATIO SEXTA.

Qui ſtudio integræ conſcientiæ, curâ, precibus, vigilijs, ſollicito & ſancto timore, fide, & accurato examine ſui Apoſtaſiam vitare poteſt, ille iſtorum omiſſione poteſt à juſtitiâ deficere,

Quilibet iuſtus in hac vitâ poteſt iſtorum obſeruatione vitare apoſtaſiam, Ergo

Quilibet iuſtus in hac vitâ poteſt omiſſione iſtorum deficere à juſtitiâ.

Vel ſic, *Si iuſtus non poſſet deficere à juſtitiâ ſuâ, non opus eſſet illi conſcientiæ ſtudio, cura, vigilijs, precibus, timore, fide, ſollicito ſui examine,*

Sed iſtis omnibus iuſto opus eſt, Ergo

Juſtus poteſt deficere à juſtitiâ ſuâ.

VII. Accedant argumenta alia ſecundum ſcripturas.

1. Cui ſemel remiſſa ſunt omnia peccata, is nihilominus poteſt merito ſuo in iuſtam condemnationem incidere. Docet hoc in Parabola Chriſtus Matth. xviii. 27. quum narrat, Regem commotum miſericordia, ſeruo deprecanti debitum decies millies talentorum remiſiſſe, eúmque in integrum reſtituiſſe: quem quum poſteà intelligeret conſeruo exiguum debitum noluiſſe remittere, tradidit tortoribus. Hanc ille Parabolam applicans poſteà ad Apoſtolos & diſcipulos ſuos, *Ita,* inquit, *Pater meus cæleſtis faciet vobis, niſi remiſeritis ſuo quiſque fratri ex cordibus offenſas eorum.*

DEMONST. *Cui remiſſa ſunt omnia peccata, is eſt verè iuſtificatus.*

At talis poteſt finaliter relabi & damnari, Ergo

Qui ſemel fuit vere juſtificatus poteſt poſteà finaliter relabi & damnari.

2. Is ex quo ſemel eiectus eſt Dæmon, poteſt ſecurus reddi, & templum fieri in quo prior ille Dęmon adſumptis adhuc alijs ſeptem deterioribus, ſtabuletur; atque ita fit condicio illius vltima deterior priore. Matth. XI.43.

DEMONST. *Ex quo eiectus eſt Dæmon, is eſt verè iuſtificatus.*

At talis poteſt ſecuritate ſuâ & neglectu relabi in ſtatum priore deteriorem, Ergo

Qui ſemel verè iuſtificatus fuit, poteſt relabi in condicionem priore deteriorem.

3. Quod augeri poteſt, poteſt idem quoque perfici: & quod minui poteſt, poteſt aboleri & abire in nihilũ: quod vſque adeò verum eſt, ut Apoſtolus eodem principio vtatur ad oſtendendam veteris Teſtamenti abolitionem. Hebr. VIII.13. *Nam quod antiquatur & atteritur, id in eo eſt ut paullatim aboleſcat.* Atqui fides minui poteſt & decreſcere, poteſt igitur (niſi tempeſtiuè quis in viam redeat,) adnihilari. Apoc. 11. 4. *Habeo hoc aduerſum te, quod charitatem tuam priorem omiſeris. Memor eſto igitur, vnde excideris, & reſipiſce, & priora opera facito: ſin minus, veniam aduerſum te citò, & amouebo candelabrum tuum è loco ſuo, niſi reſipueris.* Huc refer exempla peccantium, Moſis, Iobi, Dauidis, Salomonis, populi Iſraëlitici, Corinthiorum, Galatarum, qui niſi per reſipiſcentiam fuiſſent reſtituti, ſine dubio omnes perijſſent. Petrus quum per fidem aquas

calcaret, quantum de fide perdidit, tantùm merſus eſt. Videbat enim ventos validos, & fluctus concitatos, itaque timuit, mergendus planè, niſi fide ad Chriſtum recurriſſet: itaque pauidus exclamauit dicens, *Domine, ſerua me. Statim verò Jeſus extenta manu, apprehendit eum, dixitque ei, ô exigua fide prædite quid dubitaſti?*

4. Si iuſtitia non deſeritur, aut fides, aut ſanctitas, nulli erunt apoſtatæ. At ſunt. Ergo.

5. Si juſtitia non deſeritur, nemo poteſt deleri de libro vitæ: Atqui fieri poteſt ut aliquis deleatur. Exod. XXXII. 32. *Si non es condonaturus peccatum eorum, dele me nunc de libro tuo quem ſcripſiſti. Dixit verò Iehova Moſi, Eum qui peccauerit mihi delebo de libro.* Deut. XXIX. 18. *Ne ſit in vobis vir aut mulier, aut familia aut tribus cuius animus auertat ſe hodie à Iehova Deo noſtro, ut eat ad colendum Deos Gẽtium iſtarum,* Quid enim ſi fiat? *incumbet ei omnis adiuratio quæ ſcripta eſt in libro hoc, delebitque Iehova nomen eius ſub cælo.* Pſalm. LXIX. 29. *deleantur de libro viuentium, & cum iuſtis ne conſcribantur.* Apocal. III. 5. *Qui vicerit, amicietur veſtimentis albis, neque vnquam delebo nomen eius ex libro vitæ, ſed agnoſcam nomen eius in conſpectu Patris mei, & conſpectu angelorum eius.*

6. Iuſtus poteſt agere ſecundum principia quæ habet, ſicut dictum eſt Poſtulato VII. Habet autem principia duo. Vnum boni, ſpiritum; alterum mali, carnem; ſicut etiam dictum eſt Poſtulato ſecundo. Sequitur igitur, ſi ſecundum carnem viuat, eum extinguere operationem ſpiritus: quemadmodum ſi ſecundum ſpiritum viuat, extinguit paullatim operationem carnis. Paulus Rom. VIII. 12. *Debitores ſumus non carni, ut ſecundum carnem viuamus, ſed ſpiritui. Etenim ſi ſecundum carnem viuetis, moriemini:*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
86 H 16

ſed ſi ſpiritu actiones carnis mortificaueritis, viuetis: quotquot enim ſpiritu Dei aguntur, ſunt Filij Dei. Dicuntur autem carnales tum ij qui ſpiritum gratię vel nunquã habuerunt, vel penitus excuſſerunt, Iudæ 19. *animales ſpiritum non habentes*: tum qui ſpiritum quidem habent, ſed non vſquequaque viuunt ad normam & inſtitutum ſpiritus 1. Cor. III. 3. *Vos adhuc eſtis carnales: quum enim in vobis ſint liuor, & contentio, & diſſidia, nonne carnales eſtis, & ſecundum hominem inceditis? Etenim quum alius dicat, Ego quidem ſum Pauli, alter verò, Ego ſum Apollo, nonne carnales eſtis?* Ac de hoc poſteriori hominũ genere dicimus, fieri poſſe, ut ij ſpiritum penitus extinguant. Nam quum regeneratio phyſicam hominis prælectioni neceſsitatem non inferat, ſed libera maneat voluntas & ſoluta ad eligendum vtrumlibet oppoſitorum: poteſt homo ſpiritus actiones, hoc eſt admonitiones, pultationes, reprehenſiones, ſi velit, negligere; poteſt carni & Diaboli ſuggeſtionibus parere, poteſt priorem adſenſum per ſpontaneam negationem, poteſt fiduciam promiſſionum diuinarum per conſiderationem terriculamentorum huius mundi, poteſt notitiam ipſam per obliuionem, ſocordiam, ignauiam; poteſt hæc omnia per voluntaria peccata excutere.

6. Si non poſſet deſeri iuſtitia, neceſſarium eſſet, iuſtos ſemper perſeuerare, ac proinde nemo de iuſtitia ſeruanda deliberaret, quis enim deliberat de impoſsibili aut neceſſario? irritæque eſſent exhortationes de eâ non deſerenda, inania eſſent ad perſeuerantiam conſilia, fruſtra conciperentur admonitiones, reprehenſiones, aliáque virtutum incitamenta, & vitiorũ repagula. Sed hæc

non

non inſtituuntur fruſtrà. Ergo iuſtitia poteſt deſeri; Ac per conſequens, non eſt abſolutè neceſſarium ut hic iuſtus ſit, inq; iuſtitiâ ſuâ perſeueret. Ariſtot. II. Nicom. IV. περὶ τῶν ἀιδίων οὐδεὶς βουλεύεται. οἷον περὶ τοῦ κόσμου, ἢ τῆς διαμέτρου καὶ τῆς πλευρᾶς ὅτι ἀσύμμετροι. ἀλλ' οὐδὲ περὶ τῶν ἐν κινήσει, ἀεὶ δὲ κατὰ τὰ αὐτὰ γινομένων, εἴτ' ἐξ ἀνάγκης, εἴτε φύσει, ἢ διά τινα ἄλλην αἰτίαν, οἷον τροπῶν καὶ ἀνατολῶν, οὐδὲ περὶ τῶν ἄλλοτε ἄλλως, οἷον αἰχμῶν καὶ ὄμβρων, οὐδὲ περὶ τῶν ἀπὸ τύχης, οἷον θησαυροῦ εὑρέσεως. ἀλλ' οὐδὲ περὶ τῶν ἀνθρωπικῶν πάντων. οἷον, πῶς ἂν Σκύθαι ἄριστα πολιτεύοιντο οὐδεὶς λακεδαιμονίων βουλεύεται. οὐ γὰρ γένοιτ' ἂν τούτων δι' ἡμῶν οὐθέν. βουλευόμεθα δὲ περὶ τῶν ἡμῖν πρακτῶν. Et cap. v. Πρὸς ὅσα, μήτ' ἐφ' ἡμῖν ἐστὶ, μήθ' ἑκούσια, οὐδεὶς προτρέπεται πράττειν, ὡς οὐδὲν πρὸ ἔργου ὄντος πεισθῆναι μὴ θερμαίνεσθαι, ἢ ἀλγεῖν, ἢ πεινῆν, ἢ ὁποιοῦν τῶν τοιούτων. οὐθὲν γὰρ ἧττον πεισόμεθα αὐτά.

Sed figo hic pedẽ: vel enim iſta ſufficiunt, vel omninò neſcio quid poſsit eſſe ſatis. Nunc argumentis omnibus in vnum veluti faſciculum collectis fiat.

ΟΜΑΣ ΑΠΟΔΕΙΞΕΩΝ.

Quod ſcriptura diuerſis formulis expreßit, quod euentus variè teſtatur, quod condicionem habet mali certò euenturi, cuius metu in officio continentur ſancti, ipſumque cauſſas ſuas habet, irritamenta, & remedia, idipſum in ſe eſt poßibile,

Apoſtaſia ſanctorum diuerſis formulis in ſcripturâ exprimitur, euentus eam variè teſtatur, ipſaque condicionem habet mali

mali certò eventuri, cujus metu continentur ſancti in officio, & habet cauſſas ſuas, irritamenta, & remedia, Ergo, Apoſtaſia ſanctorum eſt poßibilis; vel, quod idem valet, Sancti & juſti in hac vita poſſunt deficere.

EXCEPTIO CVM RESPONSIONE.

Excipiunt nonnulli, dicuntque, Poſſe quidem verè juſtos & credentes deficere reſpectu ſui, ſed non poſſe reſpectu Dei, cujus decretum ſtat, neque mutabilis eſt electio, nec irritum conſilium, nec inefficax voluntas, nec falſa promſſio. Elegit autē Deus, verbi gratia, hunc hominem, eique decrevit dare ſalutem: neceſſe igitur eſt eidem quoq; det fidem, iuſtitiam, ſanctitatem, dilectionem: & quum prolabitur, neceſſe eſt eundem renovet per reſipiſcentiam: nam ſi non faciat, jam fine ſuo excidet. Atqui hoc eſt petere τὸ ἐν ἀρχῇ. Primum enim poſtulatum noſtrum fuit. Nullam eſſe electionem aut reprobationem abſolutam. Porrò tam principij vim habent poſtulata quam τὰ διδόμενα. Quod ſi tamen quiſpiā ἀίτημα conceſſum retractet, parati ſumus illiud demōſtranum vi, & robore argumentorum vel invito extorquere. Ita futurū eſt, ut quod pro principio poſuimus in præſente Demonſtratione, concluſionis locū habeat in futura. Sed ante omnia neceſſe eſt ingenuè agatur, & ad veritatis diſquiſitionem afferatur, φιλαληθεία, cum odio Sophiſtices. Præterea decretum illud, ſi quod eſſet ejuſmodi, pugnaret adverſa fronte cum verbo. Verbi enim vox eſt iſta, Si juſtus deſeruerit juſtitiam ſuam priorem morietur. Si ſal fuerit infatuatum abjicieter foras. Si palmes in Chriſto fructū non tulerit, exſcindetur. Decretum verò

G eſt

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
86 H 16

eſt tale, Electus iſte, etiamſi deſerat juſtitiam ſuam, tamen non morietur; licet ſal infatuetur, non abijcietut foràs: etſi palmes fructũ non ferat, non exſcindetur, redibit enim ad ſe, imò verò retrahetur ad Deũ, & priſtinæ juſtitiæ reſtaurabitur: intereſt enim Dei non eſſe mendacem, inconſtantem, infirmum, vanum. Si ergo conceditur nobis Poſtulatum noſtrum primum, & abſurdum eſt, ponere in Deo pugnantes voluntates duas, neceſſe eſt ruat id quod in exceptione dictum eſt, poſſe quidem juſtos deficere reſpectu ſui, non poſſe reſpectu Dei. Præterea, qui ſic loquuntur, videntur mihi nudis reſpectibus eventus diſtinguere, quum non reſpectibus ſtetur vel cadatur, ſed voluntate & prælectione. Quin potius apertè dicunt, ego quidem peccare poſſum, ſed Deus me reijcere propter peccatum non poteſt? Quod quid eſt aliud quam 1 dicere peccata quædam licet graviſſima ſint non habere vim ad quoſdam condemnandos? 2 Peccata ſubjectis diſtinguere? 3 Deum facere imbecillem in exequendo eo quod verbo ſuo revelavit? David enim poteſt fieri adulter, proditor, tyrannus, homicida: Deus verò Davidem talem non poteſt reijcere. 4 Majorem homini adſcribere potentiam ad peccandum, quã Deo ad juſtè judicandum? 5 Scripturas ipſas & naturam Dei ire oppugnatum atque everſum?

PROBLEMA POSTERIVS.

An juſtitia illa quam juſtus deſerit, fuerit vera juſtitia?

Vera juſtitia eſt virtus hominis converſi & juſtificati a

Deo

Deo in Ieſu Chriſto, tribuens Deo & proximo debitam dilectionem, officiaq́; dilectioné conſequentia. Ad hoc exemplũ poſſunt quoque vera fides, & vera charitas definiri. Quæritur auté, an conversus aliquis ſive regenitus talem juſtitiam aut fidé poſſit deſerere? hoc eſt, an poſsit hæc culpa ſua, deditaq́; voluntate relinquere: ut qui anteà juſtitiæ operã dabat, deflectat ad injuſtitiã, & ex templo Dei fiat templum Satanæ? Ac ſunt qui licet concedant id poſſe fieri ad tempus, & in quibuſdam rebus, tamen negent poſse id fieri totaliter (ſic enim loquuntur) & finaliter: idq́; non aliam potioré ob cauſſam, quam quia electos ſalvari, reprobos damnari ſimpliciter neceſſe eſt. Sed quia vident quorundam defectionem ſacrarum litterarũ monumẽtis ipſaque etiam experientia comprobari, triplicem exceptioné commenti ſunt. Prima eſt, fidé illorũ fuiſse tantum ſimulatam; proinde illos non juſtos fuiſſe, ſed hypocritas. Secunda, quũ ſcriptura ſub hac condicione multa ſanctis promittat, ut ne fidem, juſtitiã, ſanctitatem deſerant, ex talibus hypotheticis dicunt nihil effici poſſe Categoricè. Tertia, Fidem quorundam eſſe duntaxat temporalem: hanc verò non eſſe veram fidem. Quæ quidem quantum valeant, in timore Dei exanimemus.

I Sunt qui putent fuiſſe ſimulatam. Atqui aliud longe eſt deſerere juſtitiam, aliud tectam & latentem hypocriſin revelare. Hypocrita quum innoteſcit, non deſerit juſtitiam, ſed manifeſtat latentem improbitatem: priùs igitur non fuit juſtus. Iuſtus verò quum juſtitiam ſuam deſerit, non deponit larvam, ſed virtutem prioré quam reverà habuit, reijcit, & deflectit a bono ad malũ: fuerat enim juſtus. Si igitur juſtus non eſt idem cum hypocri-

ta, & avertere ſe a juſtitia, propriè non eſt patefacere latentem improbitatem. vtique non æquipollebunt iſta, *Iuſtus deſerit juſtitiam ſuam*, Et, *hypocrita ſeipſum patefacit*. Ac proinde quum dicit Ezechiel, *Si juſtus confiſus juſtitiæ ſuæ fecerit iniquitatem*, non vult ſignificare, *Si hypocrita ſeipſum prodiderit:* Finge enim hoc velle, quomodo cohærebunt ſequentia? *omnia juſtè facta ipſius*, id eſt, omnia facta ipſius hypocritica, *non memorabuntur; ſed ob iniquitatem illam ſuam quam facit*, id eſt, quia deſinit eſſe hypocrita, fitque apertè impius, *morietur*. Quum ergo abſurda hæc ſint, ſequitur, apud Ezechielem de verè juſto agi. Manifeſtius id erit in verbis Chriſti ad Apoſtolos. *Vos eſtis ſal*. Et, *Bonus eſt ſal, quod ſi verò ſal infatuatus fuerit, quonam ipſe ſalietur? Habete in vobis ſalem*. Pone Chriſtum loqui de hypocriſi & hypocritis, jam ſententia erit, *Vos eſtis hypocritæ. Et, Bona eſt hypocriſis: quod ſi verò hypocriſis veſtra detecta fuerit, quomodo reſtituetur? Habete in vobiſmetipſis hypocriſim*. Et tamen quum ſolus Deus inſpector ſit cordium, ſoluſque ille de hypocriſi poſsit judicare, eoque fiat, vt hypocritæ judicio noſtro ſæpenumerò juſtis & fidelibus ob externam pofeſsionem accenſeantur; fatendum eſt, multos videri deficere, qui tamen revera nõ deficiunt, ſed tantũ ſeipſos produnt: fuerant enim hypocritæ: Deſerunt igitur non fidem (hanc enim non habuerunt) ſed profeſsionem fidei; quique anteà fuerant hypocritæ, poſteà fiunt deriſores, blaſphemi, perſecutores. Ex quibus efficitur, duplicem eſſe apoſtaſiam; vnam apparentem, alteram realẽ: illâ deficit quis a juſtitia ſimulata, τῇ φαινομένῃ δικαιοσύνῃ: hac a reali, τῇ ὄντως δικαιοσύνῃ. Illa eſt falſorum doctorum & ſimulatorum fratrum, qui ceſſantibus commodis hujus

jus ſeculi doctrinam quam aliquantiſper profeſſi fuerant, oppugnant; nullum enim ſimulatum eſt diuturnum: hæc verò eſt juſtorum, ſanctorum, credentium, ſi officij ſui partes deſerant. Ac de priore Apoſtatarũ ordine, hoc eſt de ijs qui fidem quã non habuerant ſimulaverunt, intelligendus eſt Ioannes 1. ep. cap. 11.19. *Etiam nunc Antichriſti multi cœperunt eſſe. E nobis egreſſi ſunt, ſed non erant ex nobis: nam ſi fuiſſent ex nobis, permanſiſſent utique nobiſcum: ſed hoc fit, ut pateſiat, non omnes eſſe ex nobis.* De poſteriore verò ordine Apoſtatarum, hoc eſt, de ijs qui regeniti verè fuerant, verè crediderant, verè juſtitiam ſectati fuerant, capiendus eſt Ezechiel, & quæcumque loca præterea a nobis in prioris Theorematis adſtructione prolata ſunt. Deficiunt igitur hypocritæ φαινομένως, juſti ὄντως: & hi quum dificiunt, deſerunt veram juſtitiam, fidem, ſanctitatem: quia fuerunt verè juſti, credentes, ſancti: illi duntaxat ſimulatam. Tales Iſraëlitæ Pſalmo LXXVIII.36. *qui conabantur Deum decipere ore ſuo, & lingua ſua mentiebantur eï, & animus ipſorum non erat comparatus erga eum.*

II Cæterùm quibus negotium hæc via non ſuccedit, ij aliam aggrediuntur: Et, Ex hypotheticá, inquiunt, nihil effici poteſt poſitivè: pleraque autem quæ in Theorematis prioris adſtructione prolata ſunt, fuerunt hypothetica. *Si juſtus deſeruerit juſtitiam ſuam, morietur. Si ſal infatuatum fuerit, non eſt quo ſaliatur. Si averſamini Deum loquentem e cælis, gravi ſupplicio digni eritis. Si juſtus ſubduxerit ſe, non placebit animæ meæ.* Ex iſtis negant colligi poſſe, juſtus poteſt deſerere juſtitiam ſuam, Sal poteſt infatuari, Credentes poſſunt averſari Deum loquentem è cælis, Iuſtus po-

teſt ſe ipſum ſubducere. In quâ verò ſcholâ hæc iſti diſputant? Nimirum in eâ, in quâ etiam ſine Chryſippi operâ jam pueris peruulgatum eſt, tales hypotheticas nullo negotio abire in Categoricas. Verbi cauſſa, *Si juſtus deſeruerit juſtitiam ſuam, morietur:* fiet Categorica hoc modo, *Omnis juſtus deſerens juſtitiam ſuam morietur.* Sed Categorica illa habet reſtrictionem & limitationem ſubjecti. Quod ſi Hypothetica illa verum non habet, liceat ſaltem Categoricæ iſti verum habere. Præterea, quis neſcit, omnem hypotheticam quæ promiſsionem aut comminationem habet cum condicione reï alicujus præſtandæ, licet nihil determinatè ſtatuat de ſingulari aliqua perſonâ, in eſſe; tamen ſemper ponere potentiam? Talis enim hypothetica plura in ſe continet effata, quatuor inquam Categorica, & totidem hypothetica: verbi gratiâ hæc. *Si juſtus averterit ſe a juſtitia ſuâ, morietur;* continet Enunciationes iſtas.

1 Fieri poteſt, ut juſtus avertat ſe a juſtitia ſuâ. 2. Fieri poteſt, ut juſtus nō avertat ſe juſtitiâ ſuâ. *Hæ fluunt ex antecedente, & ſtatuunt potentiam antecedentis. Canon moralis eſt, Juſtus non debet ſe avertere a juſtia ſuâ.*

3 Fieri poteſt, ut juſtus moriatur. 4 Fieri poteſt ut juſtus non moriatur. *Hæ fluunt ex conſequente, & ſtatuuntpotentiam conſequentis. Canon moralis eſt, Juſtus debet vitare mortem.*

5 Si juſtus averterit ſe a juſtititia ſuâ certiſsimè morietur. *Hæc jungit partes adfirmativè, quod fecit Ezechiel; oſtenditque poni poſſe conſequens, poſito antecedente. Hujus Canon moralis eſt, Juſtus dignus eſt vita.*

7. 8. Duas alias quibus partes inconcinnè junguntur,

præ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
86 H 16

præterimus; cujuſmodi ſunt, ſi juſtus averterit ſe a juſtitia ſuâ, non morietur. Et, ſi juſtus non averterit ſe a juſtitiâ ſuâ, morietur. *Harum enim utraque falſa eſt.*

Eadem ratio eſt aliarum iſtiuſmodi hypotheticarum; in quibus omnibus ex antecedentis poſsibilitate ponitur conſequentis poſsibilitas. Quum igitur hypothetica præſupponat potentiam: potentia verò includat poſsibilitatem, ſive contingentiam: fatendum eſt, non eſſe impoſsibile ut bonus ſal infatuetur, neque eſſe ſimpliciter neceſſarium, ut juſtus perſtet: ſed contingere, ut juſtus deſerat juſtitiam ſuam; quod etiam indicant mandata, comminationes, exhortationes, reprehenſiones, blanditiæ, obteſtationes; quæ omnia ad res ſimpliciter impoſsibiles fruſtrà adhiberentur.

Exemplo res fiet manifeſtior. B. Apoſtolus hortaturus Hebræos ad perſeverantiam, periculum ijs proponit illorum qui deficiunt. Credentes, inquit, ſi univerſaliter omnem Deï gratiam deſerant, non poſſunt reſtitui: Ergo nec vos poſſetis, ô Hebræi. Proinde etiam atque etiã videte ut ne deficiatis, aut reſiliatis. Hoc enim volunt hæc verba. *Feramur ad perfectionem: Nam fieri non poteſt ut qui ſemel fuerint illuminati, guſtaverintque donum illud cæleſte, & participes facti fuerint Sp. Sancti, guſtaverintque bonum Deï verbum, ac virtutes futuri ſeculi, ſi prolabantur, ut denuo renoventur ad reſipiſcentiam:* Quænam verò huic exhortationi vis ineſſet, ſi abſolutè eſſet neceſſarium, Hebræos ſtare? nec fieri ullo modo poſſet, ut deficerent? haberẽt ſanè ſequentia ludicram, puerilẽ, & indignã Apoſtolo palinodiam. Quaſi diceret, Vos ego quidem moneo de periculo,

culo, ſed reverà eſtis extra periculum. Et licet ita de vobis loquar, ac ſi poſſetis excidere, tamen longè aliter ſentio: nam, ut quod res eſt fatear, profectò nō poteſtis excidere. Dices fortè, ita tamen agere Apoſtolum, atque hoc ipſum velle ſequentibus verbis, quum dicit, *Sed nos nobis perſuaſimus de vobis quæ meliora ſunt, & ſaluti adhærentia, etiamſi ita loquamur. Non enim injuſtus eſt Deus, ut obliviſcatur operis veſtri, & laborioſæ charitas: ſed cupimus ut unuſquiſque veſtrū idem ſtudium ad finem uſque oſtendat, ad certam fidei perſuaſionem.* Sed non eſt ita. Paulus enim non evertit quod poſuerat, neque vult committere mentem ſuam cum verbis ante prolatis, ſed in applicatione particulari mollit ex charitate id quod univerſim dixerat poſſe evenire. Prius dixerat, Qui deficit univerſaliter, non poteſt reſtitui, Credentes, ſi non advigilent, poſſunt deficere univerſaliter, Ergo poſſunt non reſtitui. Θεραπεία Apoſtolica habet judicium de facto Hebræorum futuro, idque ex charitate & ſpe, non ex revelatione aut prophetiâ. Emollit igitur minorē propoſitionem, ut infringatur cōcluſio. Poteſtne fieri, ò Paule, ut nos lapſi non poſſimus reſtitui? Omninò; ſi nimirum univerſali apoſtaſia gratiam Dei deſeratis. Sed apoſtaſia iſta neceſſe eſt contingat vel culpà Deï, vel vitio noſtro. Poteſtne fieri, ut nos credentes & fideles Deus prior deſerat? Nequaquam, *Non enim injuſtus eſt Deus, ut obliviſcatur operis veſtri, & laborioſæ charitatis, quam oſtendiſtis erga ipſius nomen.* Poteſtne fieri ut nos Deum deſeramus? Omninò; quocircà *cupimus, ut unuſquiſque veſtrum idem ſtudium ad finem uſq; oſtendat, ad certam ſpeï perſuaſionem.* Sed, futurumne eſt ut nos Deum deſeramus? Ignoro: ſpero tamen vos perſtituros: *per-*

ſuaſimus enim nobis, dilecti, de vobis quæ meliora ſunt, & ſaluti adhærentia, etiamſi ita loquamur. Cur ergo ita loqueris? Nempe ut prohibeam eventum poſſibilem, utque avertam periculum exitij certò eventuri, per obſtaculum attentionis & vigilantiæ veſtræ. Si igitur manetis in fide & charitate, non eſt quod metuatis. Sic ad Rom. VIII. 8. *Qui in carne ſunt, Deo placere non poſſunt.* Bona verba Apoſtole, Ergone nos Deo placere non poſſumus? Epanorthoſis in applicatione ſequitur. *Vos autem in carne non eſtis, ſed in Spiritu.* Sed hoc ipſum itane certum B. Paulo fuit, ut de eo non potuerit ullo pacto dubitari? Nequaquam. Paulus enim latebras cordis non norat. Cur ergo ita loquitur? quia ſcilicet Chriſtum profeſſi fuerant; eſt autem par, ut cuilibet de ſe teſtanti fides habeatur. Proinde ſubjicit, *ſi modo ſpiritus Deï habitat in vobis: quod ſi verò quis Spiritum Chriſti non habet, is non eſt ejus.* Iam autẽ ſingulorum eſt explorare ſemetipſos.

III Vtroque hoc præſidio ejecti quidam, κρησφύγητον ſibi commenti ſunt in latebris fideï temporalis; & quum nos ita audiunt colligentes, Fides temporalis deſeritur. At hæc fuit vera fides. Quædã igitur vera fides deſeritur: docent, fidẽ temporalem non eſſe veram fidem, idemq; judicant de juſtitiâ, charitate, ſpe. Qui ſanè mihi videntur dicere, Bucephalum non fuiſſe verum equum, quia mortuus eſt. Enimverò ad eſſentiam reï nõ facit duratio. Viſus tam is eſt qui unum duntaxat annum durat, quàm qui viginti. Et, ſive amittatur viſus poſt annos viginti, ſive poſt annum unum, amiſsio viſus vocabitur cæcitas, verus enim viſus amittitur. Eadem quoque fideï ratio eſt; quæ certè deſeri non poſſet, niſi haberetur. Quis

poteſt deficere ab eo quod nunquam adeptus fuit? Imò peccati vis in eo conſiſtit, quod quis bonum partum deſerit. Ioannis quinto capite dicit Dominus infirmo quem ſanaverat, *Ecce ſanus factus es: ne pecca amplius, ut ne quid deterius tibi eueniat*. Pone eundem peccaſſe, & grauius a Chriſto punitum, potuit enim hoc fieri: quis ita demens futurus eſt, qui neget priorem illam ſanationem veram fuiſſe? Præterea, non eſt motus, niſi a termino ad terminum. In puncto non datur motus. Recedit Iudas; unde? a fide, a Domino, a juſtitiâ, a vitâ: quorſum? ad perfidiam, ad Diabolum, ad injuſtitiam, ad mortem. Si ergo in apoſtaſiâ eſt terminus aliquis a quo receditur; ipſa autem apoſtaſiâ cedit in culpam, culpa verò eſt in deſertione boni: conſequens eſt, apoſtatam omnem fuiſſe in vero bono; hoc eſt, in viâ vitæ, priuſquam ab eo bono deflecteret. Denique, non poteſt apertius doceri quoſdam credentes aut ſanctos deficere, quam quum dicitur, quoſdam credentes aut ſanctos non perdurare, ſed eſſe temporaneos. Quid enim eſt aliud deficere, quam ad tempus tantum eſſe? Si igitur, quod verum eſt, quidam ſunt temporaneï, conſequens eſt, quoſdam a verâ fide deflectere. Tales autem a Deo rejiciuntur; audiuntq; cum Saule. *Quia tu ſpreuiſti verbum Iehouæ, ſpernit ſimiliter is quoque te.* 1. Sam. xv. 23. & meritò: laurus enim datur, non certanti, ſed vincenti: nam in corporali quidem certamine poteſt quis ſuccumbere etiam invitus; in ſpirituali verò nemo vincitur niſi volens, ut qui abunde a Deo inſtructus ſit non ad pugnam tantùm, ſed etiam ad victoriam. Deſertor itaque ſi æſtimetur ex formâ quam habuit, fuit verè credens, ſi ex officij continuatione,

atione, non eſt fidelis; quia jam fidem abnegavit. Sed fidem diſtinguere in veram & temporalem, non eſt niſi eorum qui electionem & reprobationem ſtatuunt abſolutam, atque ita omnia confecta eſſe exiſtimant, quum temporalem fidem ſolis reprobis concedunt, veram dicunt non dari niſi electis: quaſi Deus ſic rationem inſtituat: Saul, Iudas, Simon magus, Demas, Nicolaus diaconus, Iulianus, ſunt reprobi, ex vi decreti mei æterni mihique noti: Dabo igitur iſtis fidem temporalem. Paulus, Petrus, Maria, Ioannes ſunt electi; His ergo dabo fidem veram: nam ſi illis veram darem, ſalvarentur, ſi iſtis temporalé, damnarentur, fieretque irrita Prædeſtinatio. Hinc ergo fieri putant, ut reproborũ fides non ſit vera. Nec vident, ſe quum hoc dicunt, in Deum transferre culpam cur fides ſit temporalis: curque illi damnétur, qui illam habét: quandoquidem nullus actus poteſt excedere potentiã agentis, (fluit enim actus ex potentia) proinde quiſquis potentiam circumſcribit, eſt cauſſa intermiſsi actus omnis conſequentis, & eventus qui inde manat. Atqui exitij cauſſa non debet reſpui in eum qui fidem dedit, ſed in eum qui non ut debuit ſervavit. Deinde ſi fides iſta a Deo eſt, cur non eſt vera? Quomodo poteſt non eſſe verum bonum id quod a vere bono promanat? Præterea quis unquam ſapiens qualitates quæ propriis formis diſtant, ſubjectis diſtinxit? Iidem tamen (quod mireris) quum ad formales ejus fideï actus venitur, omnia ea quæ veræ fideï propria ſunt, illi etiam neceſſariò tribuunt. Tanta nimirum eſt veri vis, ut qui illam validiſsimè oppugnant, incauti ſæpè fateantur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
86 H 16

Fidei igitur temporali adſcribunt iſta, 1 *Quod magna ei ſit ſimilitudo & adfinitas cum fide electorum. 2 Quod qui eam habent, videantur ſibi veram fidem habere, quodque ſimili fere ſenſu atque electi adficiantur, ac ne ſuo quidem judicio quicquam ab electis differant. 3 Quod illa a Domino inſinuetur in mentes hominum, quos ita irradiat, ut ejus gratiam agnoſcant, ſentiantq; præſentem ejus miſericordiam. 4 Quod ejus beneficio non tantum credant eſſe Deum, Euangelicas hiſtorias, & reliquas ſcripturæ partes veras eſſe, ſed etiam quod ſermonem Deï habeant pro certiſſimo oraculo; quod præcepta Deï non prorſus negligant, quod minis Deï & promiſſionibus utcumque terreantur, quod Chriſtum vitæ & ſalutis autorem agnoſcant, & libenter ipſi nomen dent, quod Deum credant ſibi eſſe propitium, & ſenſu divinæ gratiæ adficiantur. 5 Quod, ut loquitur Apoſtolus ad Hebræos* VI. 4. *ſint illuminati, guſtentque donum illud cæleſte, & participes ſint Spiritus ſancti, guſtentque bonum Deï verbum, & virtutes futuri ſeculi. 6 Quod hæc omnia in ipſis majora ſint ſæpè, quam in electis.* Hæc tamen omnia vocant *fideï umbram ſeu imaginem, ut quæ nullius momenti ſint, & indigna fideï appellatione*, imò in hoc tantum dari iſta adſerunt, *ut qui illa habent ſint inexcuſabiles.*

Quid ergo huic fideï deeſt? Fiducia inquiunt. Eſto. Fiducia igitur erit ſolorum electorum. Quid autem eſt fiducia? Quies appetitus in bono mente apprehenſo. Atqui fatentur ipſi, fidem temporalem ita adfectam eſſe, ut qui illa præditi ſunt, credant Deum ſibi eſſe propitium, & ſenſu divinæ gratiæ adficiantur: quod quid aliud eſt, quā eos habere quoque fiduciam? Iam quæro, Si quis ſit illuminatus, guſtetque donum illud Deï cæleſte, & particeps ſit Spiritus ſancti, ſentiatque quam ſuave

ſit bonum illud Dei verbum, & quæ virtutes futuri ſæculi, ſi quis inquam hæç omnia habeat aliaque paullo ante a nobis commemorata, inque iſtis perſeveret uſque ad finem, neque a tali vel propoſito vel beneficio de flectat, quæro, inquam, an talis ſaluetur? Certè negari id non poteſt. Atqui talis ſecundum iſtos tantum habuit fidem falſam. Poterit igitur ex iſtorum ſententia ſalvari is qui fidem veram non habet. Sed profectò, Temporali non debebat opponi verum; ſed permanens; & vero nō debebat opponi temporale, ſed falſum. Recta igitur erunt omnia, ſi dixeris, Fides vel eſt vera vel falſa ſive ficta. Vera autem vel eſt temporalis, vel permanens: ſed permanens eſt ex gratia, temporalis vitio hominum; ob neglectum ſcilicet & ſocordiã, aut curas mundi, aliaſq; cauſſas quas recenſuimus Demonſtratione quinctâ.

Neque verò periculum eſt, ne fideï bono quicquam decedat, quia dicimus, fieri poſſe, ut credens aliquis fidẽ deſerat: Deſerere enim non eſt fideï ſed infidelitatis: habet autẽ credens quantiſper in hâc vita eſt, etiam ſemina in ſe ἀπιστίας, ut merito dicere debeat, *Credo Domine, ſuccurre incredulitati meæ*. Marci IX. 24. Subjectis autem tribuere velle perfectionem formæ abſtractæ, Zenonis eſt & Stoïcorum. Illi ſic. Iuſtitia eſt conſtans & perpetua voluntas jus ſuum cuique tribuendi; Ergo juſtus nunquã non ſuum cuique tribuit. Iuſtitia non peccat, Ergo nec juſtus: Iuſtitia nunquam fit injuſtitia; Ergo nec juſtus unquam fit injuſtus. Noſtrum eſt accuratius ſapere, & bona iſta conſiderare in ſuis ſubjectis. Fides in ſe eſt verum bonum, ut & charitas, ſpes, juſtitia, ſanctitas; neque poſſunt hæc non eſſe vera bona, quum verum &

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
86 H 16

bonum commeent: fideique veritas pendeat ex veritate & bonitate objecti; quod ſi eſt Chriſtus, meritum ipſius, & promiſſiones, nihil cauſſæ eſt cur non vera fides debeat appellari, etiamſi unum tantum diem duret. Sed verentur quidam, ne quum juſtus, ſanctus, credens dicitur fieri deſertor, ipſa credatur juſtitia, ſanctitas, fides, ſui eſſe deſertrix; quum tamen non eadem omnia accidant juſto & juſtitiæ, fidei & credenti, ut jam oſtenſum eſt. Ex his efficimus, 1 Quum is qui verè juſtus eſt fit injuſtus, tunc non mutari juſtitiam in injuſtitiam, ſed injuſtum fieri ex juſto, idque tum deſuetudine benè agendi, tum pravi conſuetudine, ijs ſervatis gradibus, quos in prioris Theorematis demonſtratione quintâ recenſuimus.

2 Eundem tamen, ſi maneat juſtus, hoc eſt, omnibus juſtitiæ partibus perſungatur, ab agonothete Deo juſtũ & fidelẽ pronunciari, quia ex formâ ſuâ & lege datâ agit.

3 Illum verò qui deſertor factus eſt, ῥιψάσπις, λειποτάκτης, non poſſe pro verè juſto cenſeri, quandoquidem bonum quod habuit abjecit, quum ex bono præſenti judex ſententiam ferat, non ex eo quod quis abnegavit. Docet hoc non tantùm æquitatis ratio, ſed & ipſe Chriſtus Ioannis VIII. 31. vbi Iudæos qui in ipſum crediderãt, ſic adfatur, *Si vos manſeritis in ſermone meo, verè Diſcipuli meï eritis.* Ecce: qui credunt ſunt diſcipuli, & tamen ſi perſtent, dicuntur verè futuri diſcipuli Chriſti. Fideles enim ſummi Xyſtarchæ voce declarantur non qui crediderunt ſemel, ſed qui ad finem uſque perſeverarunt.

4 Temporalem fidem veram quidem eſſe, ſed deſertorem

torem fidei non eſſe verè fidelem. Fidelis enim eſt propriè is, qui uſque ad finem ſtat promiſſis, & pacta ſeruat. Matth, XXV. 23. *Euge ſerue bone & fidelis, ſuper pauca fuiſti fidelis, ſuper multa te conſtituam: ingredere in gaudium Domini tui.* Ita Deus fidelis dicitur. 1.Cor.1.9. Et Chriſtus fidelis Pontifex. Hebr.II.17. Et Moſes fidelis ſervus. Hebr.III.6. Et Abraham fidelis etiam in tentationibus, *quia contra ſpem ſub ſpe credidit: ac mi..imè imbecillis fide conſiderauit ſuum ipſius corpus jam emortuum, nec emortuã vuluam Saræ, neque aduerſus promiſſiones Deï diſceptauit incredulitate, ſed robuſtus factus eſt fide, tributa gl riâ Deo, ac plenè perſuaſus, eum quod promiſerat, poſſe etiam facer:.* Rom.IV.19. Neque valet argumentatio iſtiuſmodi *Apoſtata non eſt verè fidelis, Ergo Apoſtata non habuit veram fidem.* Nam ſicut fidelis is eſt qui ſeruat fidem: ita Apoſtata, periurus, deſertor eſt, qui frangit aut non ſeruat fidem. Valebit autem ſeruatis terminis hoc modo, *Apoſtata non eſt verè fidelis, Ergo licet habuerit, tamen non habet jam veram fidem.* Fides igitur nos ſaluat; utique ſi ſeruetur: quod ſi eam abneges, rejicias, negligas, pernicies tua ex te. Spes non pudefacit; nempe ſi non ſpernatur: quod ſi ſpreveris, malo tuo feceris. Iuſtitia Deo grata eſt: ſed ſi eam exerceas. Quid ſi non exerceas? quid ſi deſeras? Exitium tuum tibi imputato, ſicut ſcriptum eſt, *Dilexit maledictionem & eueniet eï: noluit benedictionem & elongabitur ab eo.* Pſal. CIX. 18.

THEOREMA POSTERIVS.

Iuſtitia quam juſtus deſerit eſt vera juſtitia?

Eadem

Eadem fidei, ſpei, charitatis ratio eſt. Probatur autem hoc Theorema omnibus ijs argumentis, quibus prius illud a nobis demonſtratum eſt. Nos ex multis paucula ſaltuatim excerpemus.

EX PRIMA DEMONST.

Iuſtitia, gratia, Deus, ſal bonus, Iehova, fides, ſtabilitas, is qui eſt in cælis, Spiritus ſanctus, fiducia, ſunt vera bona, non apparentia aut ficta: Atqui hæc deſerit juſtus quum fit apoſtata, Deſerit igitur vera bona, & quum deſerit omnia, deſerit totaliter.

EX SECVNDA DEMONST.

Angeli non deſerverunt ſimulatum bonum ſed verum: deſeruerunt enim originem ſuam, dereliquerunt domicilium verum. Adam, cujus ſtatus deſertor fuit? juſti & ſancti, & quidem verè talis. Quid autem eſt B. Petro regredi a via juſtitiæ & ſanctâ doctrinâ? quid Ieſaiæ deſinere eſſe urbem fidelem? Ieremiæ derelinquere ſcaturiginem aquarum perennium? B. Petro Dominum a quo mercatus ſis abnegare? B. Paulo deſciſcere a fide? Enimverò hæc non niſi de veris bonis dici poſſunt. Denique, pectus vomitu purgatum, non eſt amplius impurum, nec ſus lota amplius ſordida eſt. Proinde qui hæc patiuntur deſerunt vera bona, veram inquam fidem, veram juſtitiam, ſanctitatem. Nemo autem deſerit quod non habet: Habuerunt igitur vera bona.

EX TERTIA DEMONST.

In quo ſtandū eſt ut obtineatur vita æterna, id ſi quis deſerat, excidit a vitâ & beatitudine, & ruit in condemnatio-

nationem: At in verâ juſtitia, fide, ſanctitate ſtandum eſt, Ergo qui hæc deſerit, excidit. Cur? quia deſerit vera bona. Itaque 1 Prior illius juſtitia vera fuit, 2 qui hanc deſerit, ſubducit ſe a verâ fide. 3 fuit verus palmes & Chriſto inſitus. 4 Guſtauit verè donum cæleſte, & particeps fuit Sp. Sancti, ſenſitque virtutes futuri ſæculi. Addantur loca, ad Coloſſ. 1. 22. *Chriſtus vos reconciliauit Deo, ut ſiſtat vos ſanctos & inculpatos & irreprehenſibiles in conſpectu ſuo, ſi modo permanetis in fide fundati & ſtabiles, nec dimouemini a ſpe Euangelij quod audiſtis.* 1. Tim. II. 15. *Mulier liberos gigens ſaluabitur, ſi manſerit in fide, ac charitate, & ſanctificatione cum modeſtia.* Si ſecus fiat, conclamatū eſt. 2. Petri II. 20. *Nam ſi poſtquam pollutiones mundi per agnitionem Domini & ſeruatoris Ieſu Chriſti effugerint, his rurſum implicati ſuperentur, facta eſt vltima eorum condicio deterior priore. Melius enim fuiſſet eis non cognouiſſe viam juſtitiæ, quam cognita illa regredi a ſancto præcepto ſibi tradito. Sed accidit eis, quod vero prouerbio dici ſolet, Canis reuerſus ad ſuum ipſius vomitum, & ſus lota ad volutabrum cœni.* Apoc. III. 11. *Retine quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam.*

EX QVARTA DEMONST.

B. Paulus potuit reprobus fieri quum eſſet juſtus, & Apoſtoli quum eſſent ſal bonum potuerunt infatuari, Et quiuis ſtans quantiſper militat, poteſt cadere. Ambroſius. *Aliquoties prius ſunt boni, qui futuri ſunt & permanſuri mali, propter quod etiam dicuntur ſcribi in libro vitæ, & deleri.*

EX QVINTA DEMONST.

Fides & bona conſcientia non ſunt bona aparentia.

Habere bonum quod Deus juſto judicio ſuo poſteà aufert, non eſt habere bonum fucatum. Sermo de regno non eſt bonum fictitium. Prætereà peccata contra conſcientiam, ſecuritas & languor, occaſionum oblatarum contemptus, horror perſecutionum, amor voluptatum & illecebrarum carnis, ſtudium diuitiarum, deceptionum fides, exempla praua, elatio, malignitas animi adverſus comminationes divinas, neglectus pœnitentiæ, induratio cordis, lucta aduerſus Spiritum, non retrahunt nos a ſpecie boni, ſed ab ipſo vero bono.

EX SEXTA DEMONST.

Studium bonæ conſcientiæ, cultura beneficiorum divinorum, preces, vigiliæ, ſollicitus & ſanctus timor, fides, examen accuratum ſui, non conſeruant & fouent bonum ſimulatum, ſed verum.

EX SEPTIMA DEMONST.

Cui remiſſa ſunt peccata, is verè juſtus eſt. Ex quo ſemel exceſſit ſpiritus nequam, is verè purgatus fuit. Charitas ad quam relapſus reuocatur, non fuit ficta charitas. Qui deletur de libro vitæ, is anteà illi fuit inſcriptus. Qui habet ſpiritum, licet agat aliquando ſecundum carnem, habet tamen verum bonum: & ſi non haberet, fruſtrà inſtituentur ad ipſum admonitiones, reprehenſiones, obteſtationes.

DEMONSTRATIO SINGVLARIS.

Accedat ſeorſim exſertum teſtimoniũ B. Petri 2. ep. capite 11. 18. docentis, falſos doctores *prætumidam vanitatem loquendo, per carnis cupiditates laſciuas ineſcare eos qui verè,* ὄντως, *effugerant eos qui in errore verſantur.*

Ex ſuperioribus omnibus in unum collectis efficitur primaria iſta & vniverſalis.

DEMONSTRATIO.

Quicumque condemnatur, eſt totaliter & finaliter impius, Quidam qui anteà fuerat juſtus & vera fide præditus, condemnatur, Ergo, Quidam qui ante juſtus fuerat, fit totaliter & finaliter impius: Et quia particularis ajens cõuerti poteſt, ſequitur amplius. *Quendam qui condemnatur aliquando juſtum fuiſſe*: Similiter etiam, *Quendam qui totaliter & finaliter eſt impius, aliquando juſtum fuiſſe.*

Sequitur, 1 ut honeſtatem utilitatemque conſectariorum quæ Theoremata a nobis poſita conſequuntur, enumeremus; 2 ut abſurda colligamus, quæ ſententiam oppoſitam neceſſariò comitantur.

I CONSECTARIA EX SENTENTIA noſtrâ.

1 Cautè & prouidè ambulandum eſſe. Deut. IV. 9. *Cave tibi, & ſerua teipſum valde.* 1. Cor. X. *Qui videtur ſtare caueat ne cadat.* Prouerb. XXVI. *Ne glorieris in craſtinum, ignorans quid ſuperuenturus pariat dies.* Bernhar. in vigilia natalis Domini Sermone III. *Si eſſemus in domo illa non manu factâ, æternâ, in cælis, ubi nullus inimicus intrat, nihil eſſet timendum. Nunc verò tribus maligniſſimis & validiſſimis ventis expoſiti ſumus, carni, Diabolo, & mundo, qui conſcientiam illuminatam moliuntur extinguere, inſufflantes in cordibus noſtris deſideria mala; motus illicitos, & ita te repente turbantes, ut vix prænoſcere valeas, unde venias, aut quo vadas. Ex quibus etſi*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
86 H 16

duo ſæpius intermittunt, a tertio tamen nemo unquam ſufflandi inducias extorſit. Ideò vtriſque manibus, & cordis & corporis anima eſt tegenda, ne forte quæ illuminata fuerat, extinguatur: nec cedendum vel recedendum, etiamſi grauis tentationum feruor vtriuſque hominis ſtatum vehementer afflixerit, ſed dicendum cum ſancto, (Pſal. CXIX. 109.) *Anima mea in manibus meis jugiter. Eligamus potius ardere, quam cedere. Et ſicut quod in manibus noſtris tenemus, non facilè obliuiſcimur; ſic nunquam obliviſcamur negotium animarum noſtrarum, & illa cura vigeat principaliter in cordibus noſtris. Quum ergo ſic lumbi noſtri accincti fuerint, & lucernæ ardentes, cuſtodiendæ ſunt vigiliæ noctis ſupra gregem cogitationum & actionum noſtrarum: ut ſi in primâ vigilia, vel ſecundâ, vel tertiâ Dominus venerit, paratos nos inueniat. Quæ quum ita ſint, danda nobis eſt opera, ut tales perpetuò ſimus, quales nos vltimo die conſpici velimus; nam qualis quiſque moritur, talis judicabitur.*

11 Proficiendum indies in ſtudio virtutis. Philip. III. 13. *Fratres, ego meïpſum nondum arbitror metam apprehendiſſe. Unum autem ago, ea quæ a tergo ſunt obliuiſcens, ad ea verò quæ a fronte ſunt contendens, ſcopum verſus feror ad palmam ſupernæ vocationis Deï, in Chriſto Ieſu* 1. Tim. IV. 14. *Ne neglige gratioſum donum quod in te eſt* Atque huc faciunt exhortationes. Gal. V. 7. *Currebatis benè, quis vos interpellauit vt non obſequeremini veritati?* 2. Petri I. 5. *Adjicite fidei veſtræ virtutem, virtuti verò notitiam, ſcientiæ verò continentiam: continentiæ verò tolerantiam, tolerantiæ pietatem, pietati verò fraternum amorem: fraterno verò amori charitatem: hæc enim ſi vobis adſint, & abundent, non inertes vos & infructuoſos efficient in Domini noſtri Jeſu Chriſti agnitione. Nam cui hæc non adſunt, is cæcus eſt, nihil procul cernens, oblitus ſeſe a veteribus peccatis ſuis fuiſſe purificatum*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
86 H 16

tum. 1.Cor.IX.25. *Qui certat in omnibus eſt continens. Illi quidem vt corruptibilem coronam accipiant, nos autem vt incorruptam. Ego igitur ita curro, vt non in incertum: ita pugilem ago, vt non aerem cædens.* Etiam objurgationes. 1.Cor.XI.17. *Non laudo vos, quia non in id quod melius eſt progreſſi eſtis, ſed in id quod deterius eſt iuiſtis.*

III Conſcientiam non lædendam. 1.Tim.1.19. *Retine bonam conſcientiam.* 2.Cor.1.12. *Gloriatio noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ, quod cum ſimplicitate & ſinceritate Dei verſati ſumus in mundo.* 1.Ioan.III.21. *Dilecti, ſi cor noſtrum nos non accuſat, aditum liberum habemus apud Deum.*

IV Vitanda fugiendaque minima peccata, & leuiſſimas quaſque eorum occaſiones, quandoquidem peccatorū hoc eſt lenocinium, vt ab vno malo in aliud facilè pertraharis, & plerumque a minore ad majus. Sirac. XI.33. *Ex parua ſcintilla multæ conficiuntur prunæ: & homo peccator etiam in ſanguinem inſidiatur.*

V Si peccaueris, ſiſtendum impetum, nec ruendum in deterius, ſed pœnitentiam agendā tempeſtivè. Sirac.XX. *Fili, peccaſti? Ne adjicias iterum.* Et v.4. *Ne dixeris, Peccaui, & quid mihi mali accidit? Altiſſimus enim eſt patiens. Ob propitiationem ne fias ſine timore, vt apponas peccatum ſuper peccatum: & ne dicas, Meſeratio Dei magna eſt, multitudinis peccatorum meorum meſerebitur. Tam citò enim iraſci poteſt quā miſereri, & ira illius in peccatores non deſinit. Ne tardes conuertere te ad Dominum, ſubitò enim veniet ira ejus, & in tempore vindictæ diſperdet te.* Rom.II.4. *An copiam benignitatis ejus & tolerantiæ ac lenitatis contemnis, ignorans te benignitate Dei ad reſipiſcentiam deduci?* Atque hoc vocat ſcriptura repurgare ſemetipſum, & ſalutem ſuam operari. 2.Tim.II.21. *Si*

quis ſeſe ab his expurgauerit, erit vas ad decus ſanctificatum, & accommodum vſibus Domini, & ad omne opus bonum comparatum. 1.Tim.IV.16. *Intentus eſto tibi & doctrinæ, & permane in iſtis: id enim ſi feceris, & teipſum ſeruabis, & eos qui te audiunt.* Philip.II. *Operamini ſalutem veſtram.* 2.Cor.VII.1. *Has igitur promiſſiones quũ habeamus, dilecti, purificemus nos ab omni inquinamento carnis ac ſpiritus, ad finem perducentes ſanctimoniam in timore Deï.* Porrò ad reſipiſcentiã nos excitare debent cũ alia tum etiã iſta I Inuitatio Deï. Marci cap.I.15. *Reſipiſcite & credite Euangelio.* 2.Cor. V.20. *Nos nomine Chriſti legatione fungimur, velut Deo vos per nos exhortante; oramus Chriſti nomine, reconciliamini Deo.* II Quod eorum qui in peccatis & impœnitentiâ perſeuerant omnes actiones externam virtutis ſpeciem habentes Deo diſplicent. Ieſai.I.11. *Quorſum mihi multitudo ſacrificiorum? Satur ſum holocauſtis arietum, & adipe pinguium. Quid aduenitis vt compareatis in conſpectu meo? quis quæſiuit hoc a manu veſtra, vt conculcetis atria mea? Ne pergitote offerre mihi munus vanitatis: ſuffitus abominationi eſt mihi: noui lunia veſtra & ferias veſtras odit anima mea Laborioſæ. Sũt mihi. Defeſſus ſum ferẽdo.* Cur? quia *manus veſtræ cædibus plenæ ſunt.* Et LXVI.3. *Qui jugulat bovem, eſt ac ſi percuteret virum: qui mactat pecudem, eſt ac ſi decollaret canem: qui offert munus, ac ſi ſanguinem porci: quia adolet thus, ac ſi muneraretur idolum.* Quid ita? Quia iſti *eligunt vias ſuas, & abominationibus ſuis anima eorum delectatur.* Et meritò, *Sacrificium enim Deo eſt ſpiritus fractus: animum fractum & contritum o Deus non ſpernis.* Pſal.LI.19. III Certitudo remiſſionis peccatorum per reſipiſcentiam obtinendæ. Ieſ.I.16. *Lauate vos, purificate vos, mouete malignitatem actionum veſtrarum ex aduerſo oculorum meorum, deſi-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
86 H 16

nite maleſacere, diſcite beneſacere, quærite jus, beate oppreſſum, jus dicite pupillo, ſuſcipite cauſſam viduæ: Tunc venite, & diſceptemus inquit Jehoua. Si fuerint peccata veſtra veluti dibapha, tanquam nix exalbeſcent, ſi rubra fuerint velut coccineum, ſimilia lanæ erunt.

VI Pœnitentiam & dolorem aliquo modo adtemperatum debere eſſe peccato. David Pſal.VI.7. poſt peccatum ſuum, *Defatigatus ſum,* inquit, *in gemitu meo: feci vt natet totam noctem lectus meus: Lacrymis meis ſpondam meam liquefeci. Depaſtus eſt ab indignatione oculus meus.* Et Petrus *exiens fleuit amarè.* Matth.XXV.

VII Eum qui reſipiſiſcentiæ medicinam negligit aut contemnit, paullatim omni gratia excidere. Apoc.II.5. *Memor eſto vnde excideris, & reſipiſce, & priora opera facito: ſin minus, veniam aduerſum te citò, & mouebo candelabrum tuum loco ſuo, niſi reſipueris.* Prov.I.24. *Quia vocaui & renuiſtis, extendi manum meam & non fuit qui adſpiceret; deſpexiſtis omne conſilium meum & increpationes meas neglexiſtis. Ego quoque in interitu veſtro ridebo & ſubſannabo, quum vobis id quod timebatis aduenerit, quum irruerit repentina calamitas, & interitus quaſi tempeſtas ingruerit, quum venerit ſuper vos tribulatio & anguſtia. Tunc inuocabunt me, & non exaudiam.*

VIII Poſt pœnitentiam cauendum etiã atque etiam, ne in eadem peccata reuoluamur. Cant.V 3. *Laui pedes meos, quomodo inquinabo eos?* Prov.XXVI.II. *Sicut canis qui reuertitur ad vomitum ſuum, ſic ſtultus qui iterat ſtultitiam ſuam.* Ioan. V.14. *Ecce ſanus factus es: ne amplius peccato, vt ne quid tibi deterius eueniat.* Sirac.XXXIV.30. *Qui baptizatur a mortuo & iterum tangit eum, quid proficit lauatio ejus? ſic homo qui jejunat in peccatis ſuis, & iterum eadem faciens, quid proficit humiliando*

ando ſe? orationē illius quis exaudiet? Clemē Alex. Stromat. l. II *Continuæ & ſe vicißim excipientes pœnitentiæ, nihil differunt ab ijs qui non crediderunt, præterquam in eo ſolo quod ſe peccaſſe ſenſerunt: neque ſcio, vtrum ſit deterius, prudentemne ac ſcientem peccare, an quum pro ijs quæ quis peccauit pœnitentia ductus fuerit, rurſus peccare. ... Eſt enim meditatio peccatorum ſæpe pœnitere, & ad facilem mutationem aptitudo, ex defectu exercitationis. Apparet ergo, ſed non eſt pœnitentia ſæpe petere veniam de ijs quæ ſæpe peccamus. Iuſtitia enim, vt eſt* (Proverb. XIII.) *munit vias ſuas a reprehenſione alienas.*

IX Grauius peccare illos qui gratiam Deï poſteriorem rejïciunt per ingratitudinem, quam qui antecedentem nunquam acceperunt. 2. Petri II. 20. *Facta eſt vltima talium condicio deterior priore: melius enim fuiſſet eïs, non cognouiſſe viam juſtitiæ, quam cognita illa regredi a ſancto Deï propoſito ipſis tradito.*

X In tentationibus non deficiendum, ſed perſiſtendum in fideï & charitatis officio vſque ad finem. Iacobi I. 12. *Beatus vir qui ſuſtinet tentationes; quoniam probus compertus accipiet coronam vitæ, quam promiſit Dominus ijs a quibus ipſe diligitur.*

XI Qui non perſtant vſque ad finem in veritate & ſanctitate, certò perituros. 2. Paral. XV. 2. *Si vos dereliqueritis Deum, ipſe etiam derelinquet vos.* 2. Tim. II. 12. *Si ſufferimus, etiam conregnabimus; ſi abnegamus & ille abnegabit nos.* Ierem. XXII. 24. *Ut viuo ego, dictum Iehouæ, etiamſi eſſet Conia filius Iehoiakini Regis Jehudæ annulus ſignatorius in manu dexterâ meâ, tamen inde euellam te.* Rom. VIII.

XII Qui perſtant, ſeruandos certiſſimè. Hebr. III. 6. *Domus Chriſti nos ſumus, ſi modò loquendi libertatem & ſpem*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
86 H 16

illam de quâ gloriamur, vſque ad finem retinuerimus. Coloſſ. I.22. *Chriſtus ſiſtet vos ſanctos & inculpatos & irreprehenſibiles in conſpectu ſuo, ſiquidem permanetis in fide fundati, & ſtabiles, nec demouemini a ſpe Euangelij quod audiuiſtis.* Ioã. VIII.31. *Dicebat Jeſus Judæis ij qui crediderant ipſi, Si vos manſeritis in ſermone meo, verè Diſcipuli meï eritis.* 1 Timoth. II.15. *Mulier liberos gignens ſeruabitur, ſi manſerit in fide & charitate, & ſanctificatione cum modeſtiâ.* 1. Ioan. II.24. *Quod audiuiſtis a principio maneat in vobis: ſi in vobis manſerit quod audiuiſtis a principio, vos quoque in Filio & Patre manebitis.* Apocal. II. *Eſto fidelis vſque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.* Rom. VIII.17. *Si conpatimur, etiam conglorificabimur.*

XIII Qui ita vitam inſtituunt, eos certos eſſe de remiſſione peccatorum & vita æternâ, vicinoſque morti cum fiducia ad Deum adſpirare. 2. Cor. VII.1. *Quum itaque has dilecti promiſſiones habeamus, repurgemus noſipſos ab omni inquinatione carnis & ſpiritus, perficientes ſanctimoniam in timore Deï.* 1. Ioan. III.21. *Dilecti, ſi cor noſtrum nos non accuſauerit, liberum habemus aditum ad Deum:* exemplo B. Pauli, qui imminente mortis periculo non veretur exclamare, *Certamen illud præclarum decertaui, curſum peregi, fidem ſeruaui, quod reliquum eſt, repoſita eſt mihi juſtitiæ corona, quam reddet mihi Dominus in illo die, juſtus ille judex: Non ſolùm autem mihi, ſed & omnibus qui expetiuerint illum ipſius aduentum:* & ad Philippenſes II.16. *Gloriari poſſum in die Chriſti, me non fruſtrà cucurriſſe, nec fruſtrà laboraſſe.* Quæ omnia vera creditu, pietati & bonis moribus vtilia ſunt. Verum igitur, & ad pietatem vtile eſt primum illud Theorema ex quo hæc fluunt: Ita ſcilicet

Τῷ ἀληθεῖ πάντα συνᾴδει τὰ ὑπάρχοντα.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
86 H 16

ABSVRDA QVÆ OPPOSITAM SENtentiam ſequuntur.

Qui adſerunt juſtitiam veram & fidem veram deſeri non poſſe, neceſſariò impingunt in multa abſurda, nos ex Iliade totâ pauca iſta colligemus.

I Non eſſe veras virtutes vllas niſi in ijs qui ipſorũ ſententiâ dicuntur electi: nam ſi eſſent etiam in alijs, perſtarent vtique in illis, ac proinde eſſent ipſi quoque electi. Ex quo illud etiam ſequitur, Quicquid alij faciunt, licet verum, honeſtum, bonum videatur, tamen reuera peccatum eſſe: Ergo quod Saul regẽ ſe fieri paſſus eſt, quod Iudas Apoſtolus fuit, quod ſua deſeruit, quod Chriſtum confeſſus eſt Dei filium, quod docuit, quod miracula fecit, peccauit.

II Eſſe adfectionem aliquam ſine ſubjecto: puta Apoſtaſiã. Quæro enim quorum illã ſit? Electorum? At hi ita nunquam deficiunt. Reproborum? At hi gratiam iſtam nunquam habuerunt. Nullorum igitur eſt. Atqui eſt aliqua Apoſtaſia: Eſt ergo quædam adfectio ſine ſubjecto.

III Actiones morales non formis proprijs, ſed ſubjectis differre: eandemque actionem in electo poſſe eſſe honeſtam ac Deo gratam, in reprobo, vtut ſe comparet, non poſſe non eſſe peccatum. Non poſſe alios in fide & charitate perſtare, quam qui reuerà perſtant. Eadem mala in electis eſſe ſanabilia, in reprobis non eſſe: In electis debere remitti etiam maxima & turpiſſima peccata, in alijs ne minima quidem vnquam poſſe. Ac pro-

proinde nihil eſſe facilius electis quam perſeuerare vſq; ad finem, quandoquidem fieri nullo poteſt, vt non perſeverent, & *tales nullis vnquam flagitiis fidem perdant*, adeò vt Dauid etiamſi centuplo plura & grauiora peccata commiſiſſet, nō potuerit gratiâ & ſalute excidere. Et vt quidam ſcribere auſus eſt, *Sufficit quod agnouimus diuitias gloriæ Dei, agnum qui tollit peccata mundi: Ab hoc non auellet nos peccatū, etiamſi millies uno die fornicemur aut occidamus.* fol. 345.

IV Defectionis piorum temporaneæ cauſſam eſſe ſubductionem gratiæ temporaneam, quam idcircò procurat Deus, vt oſtendat ipſis alijſque quam nihil per ſe poſſint pij, vtque ita ducantur ad notitiam ſui & inuocationem ac glorificationem Dei: Atque huc referunt illud cujuſdam incerti antoris, *Per medicinalem prouidentiam paulum deſertus eſt a rectore, ne per exitialem ſuperbiam deſereret ipſe rectorem.* Quum de corporalium bonorum ſubductione id dicat, quæ ad ſalutem prodeſt, quum ſpiritualium bonorum ſubductio, non poſsit non obeſſe Sed examinemus modum quem in hoc negotio a Deo ſervari putant. Deus ſuſtentat electum aliquem, puta Davidem: ſed vult, inquiunt, vt Dauid gratiâ vtens non efferatur, putetque ſe, bona iſta, fidem, patientiam, humilitatem, habere ex ſe. Quaſi ſcilicet poſsit contingere, vt quiſquam fide, patientiâ, humilitate vtens, efferatur. Subducit ergo Spiritum ſuum ad tempus, & reuocat gratiam, hominemque relinquit ipſum ſibi. Is verò ita poſitus, tentatur variè, Deo id non tantùm permittente, ſed etiam imperante. Hoc putant vocari in ſcripturâ explorationem. Tentatus Dauid, ſuccumbit, & adulterium homicidio cumulat: quæ duo maxima & grauiſsima

 pecca-

peccata multis alijs minoribus fuerunt conjuncta. Relinquitur verò in hoc ſtatu aliquandiu: & quamdiu relinquitur variè peccat, neque enim redire in viam poteſt, niſi retractus a Deo: retrahitur autem quum Deo viſum eſt modum imponere ipſius peccatis. Tunc autem David ad ſe reverſus, agnoſcit peccatum ſuum, fatetur ſe ſine Deo nihil poſſe, diſcit ſe ſpiritualibus bonis quæ ante habuit non debuiſſe efferri, & gratias Deo agit ob reſtitutionem. Atque hoc modo aliquantiſper vivit. Ecce verò: Iterum placet Deo ipſum explorare: ſubducit ergo ipſi iterum gratiam. Deſertus effertur animo, numerat populum. Caſtigatur, retrahitur: retractus peccatum agnoſcit, credit, juſtificatur, denique gratias Deo agit. Ita quod Dauid chamæleontis inſtar colorem mutat, coguntur non Dauidi adſcribere, gratiam ſibi datam negligenti, ſed Deo conceſſam gratiam ſubducenti: quo fit, vt Deus (prô dolor!) ponatur cauſſa immediata lapſus Dauidis. Nam ſi id quo primùm poſito res ponitur, & quo primùm ſublato res tollitur, eſt cauſſa immediata cujuſque reï, certè, ſicut poſitio ejus reï cauſſa erit cur aliquid ſit, ita ſublatio reï erit cauſſa cur non ſit. At poſitio gratiæ, hoc eſt, adſiſtentia, eſt cauſſa cur Dauid ſtet, Ergo ſubductio gratiæ erit cauſſa cur Dauid cadat, & quidem immediata, per ſe, & non ex accidente. Is enim cauſat in practicis per ſe, qui agit proptet finem, & ad illum finem cætera diſponit atque ordinat. Dauid autem hic non intendit finem, aut ad illum finem diſponit: ſed hæc facit primò Deus, qui Dauidem vult deducere ad agnitionem ſui, ut ita ipſe glorificetur, Ergo non Dauid cauſat, ſed Deus. Dices

Daui-

Dauidem quoque cauſsare, quia appetit malum, Repono, 1 Dauidem, ſi veræ ſunt ipſorum hypotheſes, non appetiiſse malum antequam deſereretur. 2 Eundem tantùm eſse inſtrumentum: actus verò inſtrumenti ſemper redit ad eum qui primùm mouet. 3 Dauidem neceſsario agere; non libere: actus autem cujuſque forma adſcribenda eſt illi qui ipſum neceſſitat: quomodo enim non appetat malum is, cui principium boni ſubductum eſt? Vide in quæ præcipitia error deuius homines abducat? Atqui Deus nunquam gratiam ſuam prior ſubducit, neque deſerit quenquam niſi ante deſertus. Proſper ad object. Vincentij. *Non deſerit Deus quenquam antequam ipſe deſerat, & facit plerumque ne deſerat, aut etiam ſi diſceſſerit, vt redeat.* Ipſe enim eſt fidelis, ſibique conſtat, & vt ad Timotheum ſcribit B. Paulus, *Si nos infidi ſumus, ille tamen fidus manet, negare enim ſeipſum non poteſt, Proinde, ſi ſubſtiterimus etiam conregnabimus: ſi abnegamus, & ille abnegabit nos.* Deus igitur nunquam deſerit quenquam niſi juſtè, hoc eſt, non deſerit vt peccet, ſed quia peccauit. Quanto melius Plato, quem idcircò Theodoretus ſermone v. ad Græcos infideles laudauit? *Modis omnibus pugnandum eſt, ne Deus qui bonus eſt, dicatur malorum cauſſa: nemo qui juſtis legibus victurus eſt, verba hæc dicat in ſua ciuitate, neue quis loquentem exaudiat, ſeu junior ille ſit, ſeu ſenior, vtpote quæ neque ſancta ſint, ſi dicantur, neque vtilia, nobis neque ſibi ſint conſona.* οὔτε ὅσια, οὔτε ξύμφορα ἡμῖν, οὔτε ξύμφωνα αὐτοῖς. Excipiunt quidam: Deum non ſtatui a ſe cauſſam efficientem mali, ſed deficientem duntaxat. Quid autem hoc eſt? Principiò, cauſſa defectum efficiens vel procurans non rectè vocatur cauſsa deficiens: vt qui excæcat alterum, non

debet dici cauſsa deficiens cæcitatis, aut qui crus alteri præſcindit cauſſa deficiens claudicationis. Deinde, quomodo poteſt quis magis cauſſare actum contrarium, quam cauſſam ſubducendo? Qui exoculat igitur nō eſt cauſſa deficiens cæcitatis, ſed efficiens, idq; naturaliter in altero: qui crus amputat, cauſſa eſt efficiens claudiationis: &, ſi Deus, vt aliquis peccet, gratiam illi ſuam ſubducit, meritò dicendus erit cauſſa efficiens peccati, quandoquidem ſine gratia Deï benè agere homo non poteſt.

V Eſse quædam peccata quæ ſacratiſſimo Chriſti ſanguine ablui non poſsunt: idq; non propter quantitatem delicti, ſed propter delinquentis ſtatum. Eſt autem hic certiſſimus ſurculus hæreſis Caianæ, imprimis baptiſmum (vt loquitur Tertull.) deſtruentis, & piſciculos necantis: Hieron ad Oceanum. *Conſurgit mihi Caiana hæreſis, atque olim emortua vipera contritum caput leuat, quæ non ex parte, vt ante conſueuerat, ſed totum Chriſti diruit ſacramentum. Dicit enim, eſſe quædam peccata, quæ Chriſtus non poſſit purgare ſanguine ſuo; & tam profundas ſcelerum priſtinorum inhærere corporibus atque animis cicatrices, vt medicinâ illius attenuari non queant. Quod quid aliud eſt niſi vt Chriſtus fruſtrà mortuus ſit? fruſtrà autem mortuus eſt, ſi aliquos viuificare non poteſt.*

VI Facilius ad Apoſtaſiam devolui Eccleſiam aliquam particularem quam vnum verè credenté. Nam Eccleſia aliqua particularis, imò & gens tota, poteſt in totū deficere, vnus abſolute electus nō poteſt: proinde certior eſt ſtatus vnius hominis quā totius Eccleſiæ. De Gente Iudaica diſerte Apoſtolus ad Gal. IV. 25. *Ea quæ nunc eſt Ieruſalē, ſeruit cum liberis ſuis.* De electo aliquo iſti, Dauid nō potuit deficere.

VII Bap-

VII Baptiſmum non obſignare certò in omnibus liberis fidelium gratiam Deï, (quum inter illos quidam ſint etiam antecedente decreto Deï ab æterno abſolutè reprobati,) ac proinde dubitandū eſse fidelibus de veritate fœderis diuini, *Ego ſum Deus tuus, & ſeminis tui poſt te.*

VIII Apoſtaſiæ & deſperationis extremæ cauſsam non eſse adſcribendam præelectioni ſpontaneæ, ſed neceſsitati externæ ordinationis. Defecit Cain. Cur? non potuit ſecus. Cur non potuit? quia gratiam illi Deus non dedit: aut ſi dedit, non dedit niſi temporalem. Cur non dedit? quia noluit. Cur noluit? quia ſi dediſset veram, infregiſset prius decretum, potuiſsetque jam ad ſalutem peruenire is qui erat exitio deſtinatus. Quid ſi etiam oſtendam non debuiſse Caïnum conuerti? Certè non tenetur quiſquā voluntati & decreto Deï reſiſtere: atqui Cain circumſcriptus fuit diuino decreto. Dices voluntatem hanc arcanam fuiſse, ipſique incognitam; reuelatâ verò voluntate mandatum ipſi pœnitentiam; ad hanc autem debuiſse ſe Cainum componere. At hoc eſt voluntates duas diſsidentes Deo adfingere. Prætereà, nego reſipiſcentiam vel imperari, vel poſse imperari homini abſolutâ Dei voluntate reprobato: & velim noſse vel vnum aliquod exemplum aut teſtimonium veteris vel noui Teſtamenti, in quo Deus obſequium exigit a reprobo; hoc eſt, obedientiam ab eo quem abſolutè exitio deſtinauit, aut reſipiſcentiam ab eo quem vult ſimpliciter perire. Eſt enim reſipiſcentia via ad ſalutem; quæ non exigitur a quoquam niſi ſub condicione ſalutis, & veniæ conſequendæ ſpe. Eſt igitur ſecundum hujus ſententiæ adſertores conſequens, Damnari quoſdam, quia

non

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
86 H 16

non faciunt id quod ipſi omninò facere non debent, & quia faciunt id ad quod diuino decreto ordinati ſunt. Damnantur enim quia non perſeuerant in fide, juſtitia, ſanctitate: atqui hæc bona ipſi nunquam habuerunt; imò verò ne haberent decreto Deï excluſi ſunt. Prætereà, ſicut decretum eſt, ipſos non credituros in Chriſtum, ita etiam decretum eſt, illos hæc atq; illa flagitia admiſſuros. Damnantur igitur, ſecundum ipſos, 1 Quia non perſeuerant in bono quod non habent. 2 Quia non habent verum bonum, quod ne habent æterno & immobili decreto impediuntur. 3 Quia faciunt malum quod euitare non poſsunt, & ad quod faciendum conſilio Deï ordinati ſunt.

IX Licere fidelibus eſse ſine timore & ſollicitudine: quia ſunt ſine periculo; certi euentus ſui: aut ſi ſint ſolliciti, nihil ipſos curâ ſuâ, nihil alios docendo, reprehendendo, comminando, inſectando proficere: Nam ſi decreta Deï ſuut abſoluta, fieri non poteſt quin ſaluer. Quid mones, Caueam ipſe mihi, videam ne cadam? potius dicendum erat, Confide, non potes cadere: & ſi gratiam ſubducat Deus, facit illud ad tempus duntaxat; reſtituet eam certiſsimè; non vult infringi decretum ſuum, aut promiſsionem; poteſt & nouit ad finem quē vult deducere: certò ipſe facturus eſt: non mutabit decretum. Et ſi de Dauide, Petro, alijſque grauiſsimis peccatoribus valet promiſsio Dei, *Non deſeram te, neque derelinquam te*, adeò vt ipſi nullis flagitijs potuerint excludi, cur non idem quoque valebit in me & quouis alio credente? nam ſi illi fuerunt electi, etiam ego electus ſum. Dices, non poteſt tibi ita agenti conſtare quod ſis electus.

electus: Dico; neque ipſis extra viam Deî aberrantibus potuiſſe conſtare. Maneat igitur cordibus noſtris inſculptum illud Apoſtoli, *Videte quomodo cautè ambuletis, non ut inſipientes, ſed ut ſapientes.* Epheſ.v.15. & iſtud Salomonis, *Palpebræ tuæ ſpectent rectà coram te, expende orbitam pedis tui, ut omnes viæ tuæ ſtabiles ſint.* Prov.IIII.25. atque iterum XIV.16. *Sapiens timet & recedit a malo: ſtolidus verò infert ſe, adeò præſidens eſt.* & XXVIII.14. *Beatus homo qui admodum pauet iugiter.* Et hoc Dauidis Pſal.II.11. *Colite Jehouam cum timore, & exſultate cum tremore.* & iſtud Chriſti, *Metuite illum qui poteſt animam & corpus perdere in gehennâ.* Et illud B. Petri, *Studete vocationem & electionem veſtram firmã efficere per bona opera: hæc enim ſi feceritis, nunquã impingetis.* 2. ep. cap.I.10. Hanc autem curam, hunc ſanctum timorem hominibus in hac vita ire ereptum, quid eſt aliud quam ſubſuere puluillos axillis mortalium? Proinde ſtudioſe hic ſcopulus doctoribus & paſtoribus vitandus eſt, ne in eos meritò diſtringatur grauis illa Dei comminatio quæ apud Prophetam Ezechielem legitur cap.XIII.18. *Væ conſuentibus puluillos pro omnibus axillis brachiorum populi meï, & parantibus conſibulas pro capite cujuſque ſtaturæ, ad venandum animas. Animas venamini in populo meo, & vobis animas viuas conſeruatis: & prophanatis me apud populum meum, pro pugillo hordeï, & fruſtillis panis: morte afficiendo animas quæ non fuiſſent morituræ: & victuras prædicando animas quæ non ſunt victuræ: mentiendo apud populum meum, qui auſcultant mendacio.* Enimuerò tali certitudine poſitâ, tollitur omnis ſollicitudo: ſublatâ verò ſollicitudine, omnis Religio cultuſque Dei euertitur. Tertull. præſcriptione aduerſus hæret. *Ubi Deus, ibi metus in Deum, qui eſt*

 initi-

initium ſapientiæ. Vbi metus in Deum, ibi grauitas honeſta, & diligentia attonita, & cura ſollicita, & adlectio explorata, & communicatio deliberata, & promotio emerita, & ſubjectio religioſa, & apparitio deuota, & proceſſio modeſta, & Eccleſia vnita, & Deï omnia. Quod vſque adeò verum eſt, vt etiam inter Gentiles Cato Romanos alloquens, *Vos*, inquit, *inertia & mollitia animi alius alium exſpectantes cunctamini: videlicet Diis immortalibus confiſi, qui hanc Remp. in maximis ſæpè periculis ſeruauere. Non votis neque ſuppliciis muliebribus auxilia Deorum parantur: vigilando, agendo, benè conſulendo proſperè omnia cedunt. Vbi ſocordiæ te atque ignauiæ tradideris, nequicquam Deos implores: irati infeſtique ſunt.*

X Non eſſe in renatis quantiſper hic militant, potentiam ad vtrumque extremorum oppoſitorum; aut ſi ſit, nunquam potentiam illam abire in actum: ex quo eſt conſequens, Eos eſſe quaſi in ſtatu gloriæ, ſicut reprobi ſunt quaſi in ſtatu condemnationis: ita vt vita præſens non habeat rationem viæ: ac poſſit proinde electus aliquis reprobo etiam in hac vita dicere id quod eſt Lucæ XVI.26. *Inter nos & vos hiatus ingens conſtitutus eſt, vt qui volunt hinc tranſire ad vos, non poſſint, neque iſtinc huc tranſmeare.* Nam quum non poſſe non peccare, ſit profligatè ac deſperatè perditorum: poſſe peccare, Adami ante lapſum & regenitorum in ſtatu militiæ: non poſſe autem peccare, glorificatorum, eorumque qui poſt pugnam victores ſunt; efficitur; Si quis dicat verè regenitos non poſſe excidere, id vel idcircò fieri, quod non peccent; quod quid eſt aliud quam eos ex condicione militiæ tranſſcribere in ſtatum gloriæ? vel quod non peccent mortaliter, quod reuerà eſt extenuare peccati vim, quum ſtipen-

ſtipendium peccati mors ſit: vel idcircò non eſſe mortalia, quia ab ipſis, hoc eſt, electis proficiſcuntur; ac proinde ipſis remittuntur: quod eſt vitia ſubjectis diſtinguere, & fingere Deo gratiorem hominem quam obedientiam, Deumque facere προσωπολήπτην. Quaſi Chriſtiano (vt ex antiquis egregiè quidam dixit) *cælum ante pateat, quam via*, Voxque Euangelij non ſit, Qui perſeverauit, ſaluabitur: ſed, Quia hic ſaluabitur, perſeuerabit.

XI Perſeuerantiam, fidem, juſtitiam, charitatem, non eſſe bona moralia, ſed naturalia. Natura enim rebus a a Deo citra illarum præelectionem inditur, eſtque principium motionis in eo cui ineſt, neque mutat ſpeciem, ſed eſt vniformis. Ergo piſcis quod ſit piſcis, habet a Deo, citra ullam ſuam præelectionem, & non poteſt non eſſe piſcis, & quidem talis; neque abit piſcis in equū aut bouē, aut bonus in malum Quid enim? Natura impedit. Sic fides, juſtitia, charitas, perſeuerantia, ſecundum illos, ſunt bona ordinis cujuſdam hominum; nec pendent ex præelectione aut arbitrio cujuſquam, ſed infunduntur ſine præelectione hominibus a Deo, neque eſt in cujuſquam arbitrio iſta vel abjicere vel non admittere: ſed qui in illo ordine eſt debet neceſſario eſſe talis; nec poteſt fieri mala arbor, aut piſcis nequam. Quæ ſi ita ſeſe habent, prædeſtinatio hominibus erit pro natura: ita vt electi non poſſint non perſeuerare, reprobi verò perſeverare in bono nullo pacto poſſint. Ergo vt Daphne Poëtis in Laurum ab extrinſeco principio, ſic iſtis Saulus in Paulum. Et vt Laurus non potuit redire in virginem, ita nec Paulus potuit retrò abire in id quod fuerat: debuit manere id quod erat, quid ita? quia principium

illud extrinſecum ipſum noluit mutare: naturâ autem ſuâ ſpecies non mutantur, &, vt Phyſici loquuntur, natura non facit ſaltum. Ex quibus ſequeretur, fruſtra homini datam voluntatem, deliberationem, prælectiouem, quum tamen Deus nihil fruſtra faciat.

XII Electos non poſſe in peccato mortali extingui: Ac proinde, eos, ſi ſemper peccent mortaliter, nunquam morituros.

XIII Credentes ne peccatis quidem ſuis poſſe ſeparari a dilectione Deï. Huc referunt verba B. Pauli Rom. VIII. 35. *Quis nos ſeparabit a charitate Chriſti? num oppreſſio, num anguſtia, num perſecutio, num fames, num nuditas, num periculum, num gladius? Imò verò perſuaſus ſum, neque mortem, neque vitam, neque angelos, neque principatus, neque poteſtates, neque inſtantia, neque futura, neque ſublimitatem, neque profunditatem, neque vllam rem aliam creatam poſſe nos ſeparare a charitate Deï quæ eſt in Chriſto Jeſu.* Atqui hic tantùm enumerantur externa, quæ homini libertatem non adimunt bene faciendi, neque ipſum cogunt, imò nec poſſunt cogere ad adſenſum peccati, ſi ipſe nolit: nemo enim inuitus peccat: & voluntas tam eſt libera, vt omninò ἀκατάληπτον ſit, velle quenquam aliquid inuitum. Peccatum verò Apoſtolus in illo elencho non ponit, vtpote quod ſolū nos ſeparat a dilectione Dei. Ieſ. LIX. 1. *Non eſt breuior manus Jehouæ, quam vt ſeruet: neque grauior auris ejus quam vt audiat: ſed iniquitates veſtræ diſterminant inter vos & Deum veſtrum, & peccata veſtra faciunt vt occultet faciem ſuam a vobis ne exaudiat.* Quod ſi quis peccatum clauſulâ illa contineri velit, *neque vllam rem aliam creatam*: neceſſe eſt idem quoque fateatur & concedat, Peccatum eſſe

crea-

creaturam Dei, quod vel cogitare impium eſt. Atque ita eadem operâ illis quoque ſatisfactum eſt, qui vt probent Eccleſiarum noſtrarum hanc mentem eſſe, proferre ſolent iſta Catecheſeos noſtræ verba, *Nihil eſt quod nos a Deï amore abſtrahat*: neque enim de peccato ibi ſermo eſt, quod ſolum diſterminat nos a Deo, ſed de rebus externis: proinde recte additur, *Quandoquidem omnes creaturæ ita ſunt in ejus poteſtate, vt ſine ejus arbitrio non modo nihil agere ſed ne moueri quidem poſſint.*

XIV Peccata non tantùm non obeſſe ſed etiam poſicere ad ſalutem fidelium: nam quum Apoſtolus dicit, *Iis qui Deum diligunt, omnia cooperari in bonum*, Rom. XIII. 28. concludunt, etiam peccata cooperari; nec vident Paulum de rebus aduerſis loqui, cruce, adflictione, inopiâ, morbis, egeſtate. Ita illis quæ ſalutem ſola impediunt arroduntque, creduntur eam promouere: Huc etiam referunt verba B. Auguſtini libro de correp. & gratiâ, cap. IX. *Perſeuerantia in bono vſque ad finem, non datur niſi eïs qui non peribunt, qu niam qui non perſeuerant, peribunt. Talibus autem omnia cooperantur in bonum: vſque adeò prorſus omnia, vt etiam ſi qui eorum deuiant & exorbitant, etiam hoc ipſum eis faciat proficere in bonum, quia humiliores redeunt atque doctiores.* Atqui non peccatum prodeſt in bonum, ſed reſipiſcentia, quæ eſt veluti peccati quædam medicina. Prodeſt igitur, ſicut humano generi lapſus Adæ, & proditio Iudæ. Tertull. præſcriptione aduerſus hæreticos de Caïnæis hæc refert. *Iſti etiam Judam proditorem* (prô ſcelus!) *defendunt, admirabilem illum & magnum eſſe memorantes, propter vtilitates quas humano generi contuliſſe jactatur. Quidam etiam ipſorum gratiarum actionem Judæ propter hanc*

cauſſam reddendam putant. Et cap. XLVII. de Ophitis. *Hi ſerpentem magnificant in tantùm, vt illum etiam ipſi Chriſto præferant. Ipſe, enim, inquiunt, ſcientiæ nobis boni & mali originem dedit. Hujus animaduertens potentiam & majeſtatem Moſes, inquiunt, æreum poſuit ſerpentem: & quicunque ipſum adſpexerunt, ſanitatem conſecuti ſunt. Ipſe, ajunt præterea, Chriſtus, in Euangelio ſuo imitatur ſerpentis ipſius ſacram poteſtatem, dicendo, Et ſicut Moſes exaltauit ſerpentem in deſerto, ita exaltari oportet filium hominis. Ipſum introducunt ad benedicendum Euchariſtica ſua.* Similiter quidam præpoſterè, vt inuidiam nobis faciant, eo quod Catecheſis docet, *Omnia ſaluti fidelium inſeruire,* colligunt, inter capita religionis noſtræ hoc eſſe, Peccata fidelibus ad ſalutem prodeſſe: quum non de peccatis loquatur Catecheſis, ſed de rebus omnibus extra nos, ſecundis pariter atque aduerſis.

XV Perſeuerantiam aliaque animi bona neceſſaria quidem eſſe ſanctis, non tamen morali neceſsitate: quod ſic demonſtro. Dicit A, Ego ſum electus, ergo fieri non poteſt quin ſaluer. Inſtat B. Et, neceſſe eſt, inquit, credas, vtque juſtè, temperanter, ſanctè viuas. A. Ita eſt, ſed fidem, juſtitiam, ſanctitatem, dabit Deus. B. Sed tu potes gratiæ. Sp. Sancti reſiſtere, atque ita fine excidere. A. Non poſſum, Deus enim eſt me potentior ille dabit velle, ille dabit credere. B. Sed quum fidem habes, neceſſe eſt in fide quoque & juſtitiâ perſeueres. A. Ego certiſsimè perſeuerabo. B. At potes de gratia excidere. A. Non poſſum, & licet peccem etiam grauiſſimè, tamen redibo in viam, Deus dabit pœnitere, conuerti, credere. B. Annon potes deficere? A. Eſto, vt meî reſpectu id poſsim, certè Dei reſpectu non poſſum:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
86 H 16

ille hoc nō patietur, ille me conſeruabit. B. Sed rogari vult. A. Ille dabit vt rogem ipſum. B. Certè non orabis ipſum, niſi poſsis orare. A. Ille dabit vt poſsim. Hic vides, omnia pendere ex Electionis decreto, quod neceſsitatem ſubjecto & adfectionibus imprimit ineuitabilem, ſublatâ in nobis prælectione finis & mediorū. Atqui ſententia iſta 1 Ponit neceſsitatem actiuam in Deo; paſsiuam in homine; quum moralis omnis neceſsitas debeat actiuè eſſe in eo cui lex datur: datur autē homini. 2 Moralem iſtam neceſsitatem ab homine transfert in Deum: Ejus enim eſt moralis neceſsitas, qui finem cupit obtinere, & per media ad illum tanquā ad ſcopum collineat. Is autem in hoc negotio eſt Deus, qui finem ſibi ponit, & per media ad illum finem contendit, Deo igitur ponitur neceſsitas moralis: Prætereà, Deus præeligit, non homo: Deus enim & ſubjecta cōſtituit, & ea finibus ſuis phyſicâ neceſsitate ordinat. Quod ſi ita eſt, nulla erit in Deo juſtitia diſtributiua: neque rectè dixerit Apoſtolus ad Hebr. VI. 10. *Non eſt injuſtus Deus vt obliuiſcatur operis veſtri, & laborioſæ charitatis quam oſtendiſtis.* Sed quæcumque fiunt rectè, erunt actiones Dei per homines tanquam cæca inſtrumenta. 3 Moralem neceſsitatem hominibus adimit. Manifeſtum id, & extra controuerſiam eſt in reprobis: nam quum illos Deus ſtatuerit non perducere ad finem ſalutarem, media etiā ijſdem ſubducit: quorſum enim det illis media ad ſalutem, quos deſtinauit ad exitium? In Electis verò id æquè perſpicuum eſt: Omnis enim neceſsitas moralis eſt hypothetica, de fine poſsibili obtinendo quidem ſi viam rectam inſiſtas, non obtinendo verò, ſi deflectas aut declines.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
86 H 16

clines. At, ſecundum iſtos, electus ſimpliciter debet ſaluari, non poteſt non perſeuerare, non poteſt deflectere totaliter & finaliter; Proinde, inquam ego, perſeverantia electorum non eſt neceſſaria neceſsitate morali ſiue practicâ. 4 Statuit in Deo neceſsitatem deliberationis de perſeuerantiâ. Ejus enim eſt deliberare, & ſtatuere, cujus eſt efficere: ejus eſt efficere, cujus intereſt fine non excidere. At Deüs finem ſibi conſtituit, ergo etiam de mediis deliberet eaque media ſuſcipiat neceſſe eſt. Vt ſi velit hunc ad vitam perducere; debeat eidem dare fidem, debeat eundem in fide ſeruare; nam ſi non faciat, excidet fine ſuo, neque obtinebit quod cupit: falletur electio, vacillabit potentia, quum ipſe voluntatem mutare nõ poſſit. Præterea talis erit perſeuerantia, qualis eſt electio. At electio paſſiuè eſt in homine, actiue in Deo, Ergo & perſeuerantia. Perſtat igitur homo, quia Deus perſtat, & perſtat finaliter quia Deus finaliter perſtat. Atqui Deus nunquam non ſibi conſtat: ſequetur igitur, hominẽ nunquã peccare. Quod ſi dicas, Deum gratiã ſubducendo mutare actionum ſuarum ſeriem; neceſſe erit quoque concedas, illum cauſſam eſſe non perſeuerandi, hoc eſt deficiendi. Quæ res a bono & benefico Deo longè abeſt. 6 Denique talis perſeuerantia eſt abſolutè neceſſaria. 1 Ratione principij, Deus enim abſolutè vult eos peſeuerare. 2 Ratione finis, quia abſolutè neceſſarium eſt, vt tales ad finem ſuum perueniant. 3 Ratione formæ & definitionis, quia ſicut neceſſe eſt omne rectũ æqualiter interjectũ eſſe inter ſua puncta, ita neceſſe eſt, omnes tales perſeuerare. Horum verò modorum neceſsitatis nullus eſt verè practicus. Hic enim ita ſeſe ha-

bet,

bet, *Si vis ſaluari, reſipiſce, & crede Euangelio: Si non reſipueris & credideris, cōdemnaberis.* Iam ſi talis eſt neceſſitas, tollitur omnis gloriatio. Quomodo enim gloriabitur quis ſe feciſſe, quod alius per ipſum ſimpliciter effecit? quod ipſe euitare non potuit? quod neceſſariò & irreſiſtibili potentia major in ipſo vis operata eſt? Atqui Apoſtolus ad Philip. II. 16. *Gloriari poſſum*, inquit, *in die Chriſti me non fruſtra concurriſſe, nec fruſtrà laboraſſe.* Quod ſi dicas, fieri poſſe, vt idem ſimul & neceſſarium ſit & contingens, dic eadẽ operâ, fieri poſſe, vt ſimul ſit aliquid abſolutũ & cõdicionale, eademq́; actio ſit & Dei & hominis. Quum igitur hæc omnia falſa ſint, & Dei gloriæ ac bonis honeſtiſque moribus noxia, ac præterea curioſas, ἀπεράντους imò & ſtultas atque indoctas quæſtiones gignant, ſequitur, falſum quoq; & noxiũ Reip. Chriſtianæ eſſe primũ illud caput ex quo tota iſtius erroris ſcena fluxit. Ita ſcilicet

Ἑνὸς ἀτόπου δοθέντος πολλὰ συμβαίνει.

Nos verò ſtemus in ijs quæ ad ædificationem faciunt: memores, quod *finis mandati ſit charitas ex mundo corde & conſcientia bonâ & fide minimè ſimulatâ, à quibus quicumque aberrant, deflectunt neceſſariò ad vaniloquium. Inflati, nihil ſcientes, ſed inſanientes circà quæſtiones ac* λογομαχίας, *ex quibus naſcitur inuidia, lis, maledicentiæ, ſuſpiciones malæ, peruerſæ exercitationes hominum mente corruptorum, & qui priuati ſunt veritate, & quæſtui habent pietatem.* Et intereà doceamus ipſi *bona & hominibus vtilia.*

ORTHODOXVS CONSENSVS ECCLEſiæ in hac doctrinâ.

Etſi verò hæc ad fidem nobis faciendam debeant ab-

unde ſufficere, ſi modo aliqua pietatis & conſcientiæ purioris religione tangimur, neque magnopere humano præſidio opus habeat diuina veritas, fulta nimirum ſuo pondere, ac plane πτεράγωνος: tamen, vt appareat perpetuam hanc Eccesiæ Chriſti doctrinam fuiſſe, neque tam infeliciter vnquam cum ea actum, quin ſemper iſta locũ in ea habuerit: proferam ex infinitis pauca Patrum, Conciliorum, Scholarum, & virorum celebrium teſtimonia, quibus ſententiæ noſtræ aliquod ex ipſorũ ſuffragiis roboris accedat; vt hoc pacto liqueat, non tantum veritatẽ a nobis ſtare, ſed etiam antiquitatem, & Eccleſiæ Orthodoxæ conſenſum, aduerſus paucos quoſdam qui doctrinam iſtam pariter & falſitatis, & nouitatis accuſare auſi ſunt.

B. IGNATIVS Epiſtolâ XI ad Epheſios. *Nouiſſima jam ſuperſunt tempora: reuereamur & timeamus Deï μακροθυμίαν, nec diuitias benignitatis & tolerantiæ ejus contemnamus: Aut enim futuram timeamus iram, aut præſens gaudium in hac vitâ amemus. Noui qui ſim, & quibus ſcribam. Ego ſum Ignatius ille minimus, ſimilis omnibus modis ijs qui periculo & judicio obnoxij ſunt.* Idem Smyrna ſcribens ad Romanos qui videntur interceſsione ſua apud Imperatorem Trajanum voluiſſe impedire, ne mortis ſupplicio adficeretur. *Date operam vt immoler Deo. Vobis quidem facile eſt quod vultis efficere; ſed mihi difficile eſt Deum adſequi. Si de me tacueritis, ego Deï fiam: ſi verò carnem meam dilexeritis, denuò currendum erit mihi. Id ſolum petite, vt vires mihi intus & foris ſuppetant, vt non modò dicam, ſed & velim: vt non tantum dicar Chriſtianus, ſed etiam inueniar: ſi enim inuentus fuero, etiam dici potero: & tunc licebit mihi fideli eſſe, quum talis mundo non apparuero.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
86 H 16

Obſecro, ne intempeſtiuâ beniuolentiâ me complectamini: ſinite me ferarum eſcam fieri, per quam licebit Deum adipiſci. Frumentum Deï ſum, dentibus ferarum molor, ut mundus Deo panis inueniar. &c. Heu! quantâ curâ, ſollicitudine & anxietate, nobis ſecuritas a fidis Chriſti ſeruis parta eſt? Vtinam ea ne in confidentiam & præſumtionem abeat!

B. IVSTINVS Philoſophus Quæſtionum & Reſponſionum Orthodoxarum ſectione XXII. Quæſtio. *Si vnà cũ tritico Dominus Chriſtus auctum iri zizania reſpondit, quomodo zizania quidem multiplicata ſunt, triticum verò omne propemodum defecit? Et quænam eſt demonſtratio, id quod defecit triticum eſſe? quomodo verò vtriuſque horum incrementi prædictio falſa non eſt?* RESP. *Id quod defecit, triticum eſſe demonſtratur, per eam quæ ab ipſo prolata eſt prædictionem. Quoniam, inquit, abundabit iniquitas, idcircò refrigeſcet charitas multorum. Et rurſum, In poſterioribus temporibus deſciſcent quidam a fide, attendentes ſpiritibus impoſtoribus & doctrinis hominum. Et iterum. A veritate quidam auertentur, ad fabulas verò conuertentur. Item. Ingreſſi ſunt ad vos lupi graues, non parcentes gregi, vt abucant diſcipulos poſt ſe,* &c. Vide etiam Quæſt. XXIII. Et XCVIII. QVÆST. *Si timorem dominus non neceſſarium eſſe aſſerit, per id quod dicitur, Qui timet non eſt perfectus in caritate; quomodo rurſum diſcipulos docet, Metuite illum qui poteſt & animam & corpus perdere in gehenna?* RESP. *Non a Domino dictum eſt illud, Qui timet, non eſt perfectus in caritate, quamuis qui id dixit, de ſententia Domini dixit. Hoc autem, Metuite potius illum qui poteſt & animam & corpus perdere in gehennâ, non ad tollendam perfectam caritatem dictum eſt. Nam qui majore Deï timore minorem hominum timorem abolet, caritate Dei id facit: ita vt major Dei timor, cauſſa ſit, ne rebus cariſſimis excidamus. Quò*

namque id quod fidem autoritatemque apud nos obtinet præſtabilius eſt, eò diligitur magis; & quo diligitur magis, eò qui diligit, ne illo excidat, vehementius timet; tantiſper dum eſt in certamine quod pro re dilecta ſuſcepit. Porrò certamine ſoluto, vnà cum illo timor quoque excidendi re a nobis dilectâ, ſoluitur. Quocircà ad id vſque tempus, timor Dei neceſſarius eſt.

Dicet forte criticus aliquis, iſta non eſſe genuina magni illius Martyris, ſed alicujus illo poſterioris. Etſi verò non magnopere contrà obniti velim: tamen, vt eandem priſci quoque illius Philoſophi fuiſſe ſententiam demõſtrem, proferam illuſtrem locum ex Apologia ſecunda pro Chriſtianis. Is verò ita ſonat. *Cæterùm ne aliqui ex his quæ protulimus, autument, ex fati neceſſitate nos dicere fieri quæ fiant, etiam idipſum refellemus. Supplicia & cruciatus, itemque remunerationes exoptatas juxta operum dignitatem vnicuique contribui per prophetas edocti, pro vero conſtituimus. Nam ſi hæc nõ ſit, ſed fato fiant omnia, nihil omninò in noſtrâ ſitum erit poteſtate. Nam ſi fatale ſit, hunc quidem eſſe bonum, illum verò malum, ſequetur, neque illum probandum, neque hunc eſſe reprehendendum. Rurſum, ſi ex propria proæreſi ſiue præelectione humanum genus poteſtatem non habet fugiendi turpia, honeſtaque appetendi, nulla ipſius culpa erit quomodocumque res ceſſerit. Hominem verò liberâ ſua præelectione & rectè vitam inſtituere & a ſcopo aberrare, hoc pacto demonſtramus. Eundem hominem videmus in contrarias ſæpe partes tranſire, a virtute inquam ad vitium, a vitio ad virtutem. Quod ſi decreto fatali conſtitutum eſſet, eum vel bonum fore, vel malum, non eſſet idem homo aptus ad contrarias qualitates ſuſcipiendas, neque ſæpius in aduerſas partes tranſileret. Proinde neque eſſent ipſi homines boni, aut mali, ſi fatũ cauſſam eſſe mali, & contraria ſibi ipſum facere ſtatuimus. .... Neque enim*

ſicut alia, arbores, inquam & quadrupedes quæ ex prælectione nihil agunt, ita hominem molitus eſt Deus: nam ſi feciſſet, non foret vel retributione vel laude dignus, vt qui talis a Deo factus eſſet. Neque ſi malus foret, juſte ſupplicio adficeretur, quum talis ex ſe non eſſet, ac ne quidem poſſet eſſe alius ab eo quam factus eſſet. Docuit hæc nos ſanctus & propheticus Spiritus per Moſen, qui Deum primitus formato homini dixiſſe refert, Ecce in conſpectu tuo bonum & malum. Delige bonum. ...... Proinde & Plato quum dixit. Culpam eſſe ejus qui deligit, Deum verò eſſe culpæ expertem, a Moſe id acceptum protulit. &c.

B. IRENÆVS lib. IV. aduerſus hæreſes cap. LXXII. *Omnia talia liberum & ſuæ poteſtatis oſtendunt hominem, & quod conſilium inſtruat Deus, adhortans nos ad ſubjectionem ſibi, auertens ab incredulitate, non tamen de violentia cogens. Etenim ipſum Euangelium ſi noluerit quis ſequi, licet quidem, non tamen expedit. Inobedientia enim Deï, & amiſſio boni eſt quidem in hominis poteſtate; læſionem tamen & damnum & infert. ..... Si igitur non in nobis eſſet facere hæc aut non facere, quam cauſam habebat Apoſtolus, & multo prius ipſe Dominus, conſilium dare quædam quidem facere, a quibuſdam verò abſtinere? Iis autem qui his contraria dicunt, homines non electione, ſed neceſſitate & vi ad bonū trahuntur, in quibus vnus ſenſus, & vnus mos inflexbilis, & ſine judicio, qui nihil aliud eſſe poſſunt, præterquam quod facti ſunt. Sic autem nec ſuaue eſt eis bonum, neque precioſa communicatio Deï, neque magnopere appetendum bonum quod ſine proprio hominis motu, & cura & ſtudio prouenit, ſed vltrò & otioſe inſitum. Ita vt nullo momento boni ſint, eo quod naturâ magis quam voluntate tales exſtent, & vltroneum bonum habeant, non autem ſecundum electionem. Et propter hoc nec hoc ipſum intelligunt, quod pulcrum ſit bonum, neque fruuntur eo. Quæ enim fruitio boni*

apud eos qui ignorant? Quæ autem gloria his qui non ſtuduerunt illi? Quæ autem corona his qui non eam vt victores in certamine conſecuti ſunt? Et propter hoc Dominus violentium dixit eſt regnum cælorum, & qui vim faciunt, diripiunt illud.

CLEMENS ALEXANDRINVS lib. II. Strom. *Apoſtaſia & exceſſus ſunt in noſtra poteſtate: ſicut etiam in noſtra poteſtate eſt obſequiam.* Et non multò ante. *Bonus eſt timor: Imò timor qui ex lege oritur, non tantùm juſtus eſt, ſed etiam bonus, vt qui vitium tollat.* δέος δε ἐστι φόβος θεῖος. *Neque verò omnis timor paſſio eſt:* δεισιδαιμονία *quidem ſiue dæmonum metus eſt paßio. Sed impatibilis Dei metus eſt* ἀπαθής. *Timet enim non Deum, ſed excidere Deo: qui verò metuit ne incidat in mala, timet & veretur mala, qui autem timet ne cadat, is alienum ſe ab interitu eſſe vult & paßionis expertem. Sapiens timens declinat a malo, inquit ſcriptura, inſipiens autem confidens aggreditur. Et rurſum, In timore Domini eſt ſpes fortitudinis, Deducit ergo talis metus & ad pœnitentiam, & ad ſpem.*

ORIGENES in caput XII Matthæi, explicans parabolam de ſagenâ miſsâ in mare, *Simile, inquit, eſt regnum cælorum ſagenæ miſſæ in mare: non quemadmodum quidam opinantur, qui docent, naturas ipſas ſubjectas diuerſas eſſe, malorum ſcilicet ac juſtorum qui ſub rete venerunt; vt credamus juſtorum diverſas ac diſtinctas eße naturas, ſimiliter autē & malorum. Nam huic intellectui repugnant omnes ſcripturæ, declarantes eſſe liberum arbitrium, dum & accuſant eos qui delinquunt, & probant eos qui rectè faciunt, haudquaquā merito competente vel reprehenſione in eos qui ex mali generis naturâ tales ſunt, vel laude in eos, qui tales ſunt ex genere meliore. Siquidem vt piſces boni ſint ac mali, caußa non eſt in animabus piſcium, ſed ſecundum illud quod Verbum omnia ſciens, dixit, producant aquæ reptilia animarum viventium.*

ventium. Illic igitur aquæ produxerunt omnem animam animantium reptilium, juxta ſuum quamque genus, quum cauſſa non eſſet penes illam: hic verò nos ſumus in cauſsa, vt ſint bona genera, dignaque vaſis ijs quæ vocantur; aut mali, dignaque vaſis ijs quæ projiciuntur. Non enim in nobis natura cauſsa eſt malitiæ; ſed voluntas, quum ſit libera, propenſa eſt ad malefaciendum: ſic nec juſtitiæ cauſsa eſt natura, tanquam quæ non recipiat injuſtitiam; ſed verbum quod accipimus eſt quod reddit nos juſtos. Nam inter genera degentium in aquis, non videbis quæ tranſmutentur a malis piſcium generibus, in bona: aut a melioribus ad deteriora: in hominibus contrà bonos ac malos ſemper videre licet, qui vel ex malitia peruenerint ad virtutem, vel a profectu virtutis ad malitiæ diſsolutionem reciderint. In hoc autem quod ſcriptum eſt, Si juſtus auerſus fuerit a juſtitia ſua, feceritque injuſtitiam, ac cætera quæ ſequuntur, vſque ad illud, & in peccatis ſuis quæ pecauit, morietur; dicant nobis, qui ex ſagenæ parabolâ naturas inducunt, Injuſtus qui poſt auertit ſe ab iniquitatibus ſuis quas facit, ac ſeruat præcepta domini, facitque juſtitiam ac miſericordiã, cujus erat naturæ quum eſset injuſtus? non ſanè laudandæ: vituperandæ igitur. Item cujus tandem naturæ dicetur, quum auerterit ſe ab omnibus iniquitatibus ſuis quas fecit? Nam ſi propter ea quæ prius fecit erat naturæ malæ, quomodo bonæ naturæ erat quũ erat iniquus? Similiter quoque dubitabis & de juſto, qui ſe auertit a juſtitia ſuâ, fecitque injuſtitiam, & omnes iniquitates. Priuſquam enim ſe auerteret a juſtitiâ, in juſtis operibus verſans, non erat naturæ malæ, ſed bonæ. Mala ſiquidem natura nequaquam poſſit eſſe in juſtitia, quoniam non poteſt mala arbor fructus bonos facere, qui a virtute proficiſcuntur. Rurſus è diuerſo, qui bonæ naturæ ſit, nequaquaquam auertere poſſit a bono; & poſteaquam ſemel fuit juſtus, non poteſt deficere a juſtitia ſua ad faciendam injuſtitiam.

TERTVLLIANVS Præſcrip. cap. III. *Eſtne hoc mirum, vt probatus aliquis, retrò poſteà excidat? Saul bonus præ cæteris, liuore poſteà euertitur. Salomon omni gratia & ſapientia donatus a Domino, ad idololatriam a mulieribus inducitur: Quid ergo, ſi Epiſcopus, ſi diaconus, ſi vidua, ſi virgo, ſi doctor, ſi etiam martyr lapſus a regula fuerit? Nemo ſapiens eſt, niſi fidelis: nemo maior, niſi Chriſtianus: nemo autem Chriſtianus, niſi qui ad finem vſque perſeuerauerit. Tu, vt homo, extrinſecus vnumquemque noſti: putas quod vides: rides autem quouſque oculos habes: ſed oculi Domini alti: homo in faciem, dominus in præcordia contemplatur. Et ideò cognoſcit dominus qui ſunt eius; & palam in manu portat ad purgandam aream ſuam. Auolent quantum volent paleæ leuis fideï, quocumque adflatu tentationum, eo purior maſſa frumenti in horrea domini reponetur. Minus eſt, ſi & Apoſtolum Chriſti aliqui, Phygellus & Hermogenes, & Philetus, & Hymenæus reliquerunt; ipſe traditor Chriſti de Apoſtolis fuit.* Libro de Pudicitiâ, cap. XIX. *Canis, veneficus, fornicator, homicida, foràs; vtique qui non ex præceptis agunt: Jllorum enim eſt foras dari, qui intus fuerunt.*

Lib. V aduerſus Marcionem. *Salomon (audeo dicere) etiam quam habuit in Deo gloriam amiſit, per mulieres in idololatriam vſque pertractus*, cap. IX. Et Lib. II. *Nihil tam bono & judici convenit, quam pro præſentibus operibus & rejicere, & adlegere. Adlegitur Saul, ſed nondum deſpector Prophetæ Samuelis: rejicitur Salomon, ſed jam a mulieribus alienis poſſeſſus, & idolis Moabitarum & Sidoniorum mancipatus. Quid faceret creator ne a Marcionitis reprehenderetur? Benè adhuc agentes prædamnaret, propter futura delicta? Sed Deï boni non erat, nondum merentes prædamnare.* cap. XXIII.

Lib. III. cap. XX. *A Chriſto miſericordia Deï non abſceſ-*

ſit;

ſit; Salomoni verò etiam ira Deï acceſſit, poſt luxuriam & ido-lolatriam:

THEODORETVS multa in hanc ſententiam habet Sermone v ad Græcos infideles, qui eſt de Naturâ hominis: & ſermone vi, qui eſt de Prouidentiâ.

CYPRIANVS libro de Vnitate Eccleſiæ. *Nec quiſquam miretur, etiam de confeſſoribus quoſdam ad iſta procedere, inde quoque aliquos tam grandia, tam grauia peccare. Neque enim confeſſio immunem facit ab inſidijs Diaboli, aut contra tentationes, & pericula, & incurſus, atque impetus ſeculares adhuc in ſeculo poſitum perpetuâ ſecuritate defendit. Quiſquis enim confeſſor eſt, Salomone major, aut melior, aut Deo charior non eſt. Qui tamen quamdiu in vijs Domini ambulauit, tamdiu gratiam quam de Domino fuerat conſecutus obtinuit: Poſtquam dereliquit Domini viam, perdidit & gratiam Domini, ſicut ſcriptum eſt, Et excitauit Dominus Satan ipſi Salomoni. Et ideò ſcriptum eſt, Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam. Quod vtique Dominus non minaretur, auferri poſſe coronam juſtitiæ, niſi quia recedente juſtitia, recedat neceſſe eſt & corona. Confeſſio exordium gloriæ eſt, non meritum jam coronæ; nec perficit laudem, ſed initiat dignitatem; cumque ſcriptum ſit, Qui perſeuerauerit vſque ad finem, hic ſalvus erit, quicquid ante finem fuerit, gradus eſt, quo ad faſtigium ſalutis adſcenditur, non terminus quo jam culminis ſumma teneatur. Confeſſor eſt, ſed poſt confeſſionem periculum majus eſt, quia plus aduerſarius prouocatus eſt. Confeſſor eſt; hac magis ſtare debet cum Domini Euangelio, per Euangelium gloriam conſecutus a Domino: ait enim Dominus, Cui multum datur, multum quæretur ab eo, & cui plus dignitatis adſcribitur, plus de eo exigitur ſeruitutis. ...... Cæterum ſi culpabilis & deteſtabilis poſtmodum fuerit, ſi confeſſionem ſuam mala converſatione pro-*

degerit, ſi vitam ſuam turpi fœditate maculauerit, ſi Eccleſiam denique, vbi confeſſor factus eſt, derelinquens, & vnitatis concordiam ſcindens, fidem primam perfidia poſteriore mutauerit, blādiri ſibi per confeſſionem non poteſt, quaſi ſit electus ad gloriæ præmium, quando ex hoc ipſo magis creuerint merita pœnarum. Nam & Judam inter Apoſtolos Dominus elegit, & tamen Dominum Judas poſtmodum prodidit.

Idem Epiſtola VII. *Adhuc in ſeculo ſumus, adhuc in acie conſtituti, de vita noſtra quotide dimicamus: Danda opera eſt, vt poſt hæc initia ad incrementa quoque veniatur, & conſummetur in vobis quod jam rudimentis felicibus eſſe cœpiſtis. Parum eſt adipiſci aliquid potuiſſe, plus eſt quod adeptus es, poſſe ſeruare: ſicut & fides ipſa & natiuitas ſalutaris non accepta ſed cuſtodita viuificat: nec ſtatim conſecutio ſed conſummatio hominem Deo ſeruat. Dominus hoc magiſterio ſuo docuit, dicens, Ecce ſanus factus es, jam noli peccare, ne quid tibi deterius fiat. Puta hoc illum & confeſſori ſuo dicere. Ecce confeſſor factus es, iam noli peccare, ne quid tibi deterius fiat. Salomon denique & Saul, & cæteri multi quamdiu in vijs Domini ambulauerunt, datam ſibi gratiam tenere potuerunt: recedente ab ijs diſciplina dominica, receſſit & gratia. Perſeuerandum nobis eſt in arcto & in anguſto itinere laudis & gloriæ.*

Idem in Nouatianum. *Iudas ille inter Apoſtolos electus, qui ſemper in domo Deï vnanimis & fidelis; ipſe poſtmodum Deum tradidit.*

ATHANASIVS Oratione IV contra Arianos. *Gratia Spiritus ſancti diſcipulis data eſt, vt inconcuſſa & irreuocabilis in ipſis permaneret. Quod & Apoſtolus quum ſciret, dixit, Quis nos ſeparabit a dilectione Chriſti? Irreuocabilia enim ſunt dona Deï, & gratia vocationis. ...... Quum igitur quis ob*

ſcelera

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
86 H 16

ſcelera ſua ab iſto ſpiritu excidit, gratia quidem irreuocabilis manet in ijs qui volunt, ſed ſi quis excidat, non eſt amplius in Deo is qui cadit, quia recedit ab eo ſanctus & paracletus ſpiritus: ſed eſt in eo cui ſemetipſum ſubjecit peccator. Sicut Sauli accidit, Receſſit enim ab illo ſpiritus Deï, & adflixit eum ſpiritus malus. Hæc audientes theomachos oportebat in poſterum pudore ſuffundi.

BASILIVS ad Chilonem. *Quid prodeſt homini heſterna ventris ſatietas, ſi hodie inſitæ famis ſolatium ex cibo non inveniat? Ita & animam nihil iuuerit quod heri rectè vixit, ſi hodie quod juſtum eſt non fecerit. Qualem enim, inquit, inuenio te, talem te judico. Inanis itaque eſt juſti labor, ſi ſuccedat immutatio. Eadem & Ezechielem ex perſonâ Domini decernentem audire licet. Si a bono defecerit juſtus & peccauerit, juſtificationum illius quas antea fecit non recordabor, ſed in peccato ſuo morietur...... Quid vtilitatis Giezi ex eo cœpit, quod cum Elia conuerſatus eſt, vbi ob auaritiã lepram contraxit? Quid lucri & Salomoni tanta ſapientiæ copia & talis intellectus & adfectus erga Deum, quo primum erat præditus attulit, vbi tandem in mulierem inſaniens in ſimulacrorum cultum incedit? Poteſt & Judæ de melioribus ad peiora caſus cautum reddere eum, qui ſecundum Deum conuerſatur, qui quum tanto tempore diſcipulus Chriſti fuiſſet, pro modico tandem quæſtu præceptore venundato, ſibi ipſi laqueum adſtruxit. Hoc itaque notum tibi ſit frater, quod non qui benè cœpit perfectus eſt, ſed qui benè deſinit Deo probatur. Ne des igitur ſomnum oculis, neque dormitationem palpebris tuis, vt libereris velut hinnulus de reti, & inſtar auiculæ de laqueo. Cautus eſto: nam in medio laqueorum incedis & muro ſublimi inambulas, vnde corpori multum periculi eſt, ſi deciderit.*

GREGORIVS NAZIANZ. *Deus his quidem lumen eſt, illis autem ignis, vnicuique ſecundum materiem & qualitatem*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
86 H 16

ſubjectam. Quid verò deprehendimus in Saul? Unctus erat, & ſpiritum receperat, eratque tunc ſpiritalis, adeò vt nec ego alius quam ille tum erat, fieri vellem: ſed & prophetabat, idque adeò præter ſpem, tamque inopinatè, vt miraculum illud abierit in proverbium. ..... Poſteà verò non totum ſe præbuit ſpiritui, neque purè, ſed in alium conuerſus eſt virum, &c.

AMBROSIVS Sermone XLVII. *Ambulauit in mari Petrus, magis dilectione quam pedibus. .... Illi mox fatiſcente fide, fatiſcit ſemita: Tunc illum Dominus obiurgat, dicens, Modicæ fideï, quare dubitaſti? hoc eſt, Cur tam paruæ fideï es, vt qui credendo ambulare cœperas, non id perſeuerando tranſires? Scriptum eſt enim, Qui perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit. Sed dum cnctaris & dubitas, iter quod ingreſſus fueras perdidiſti.*

CHRYSOSTOMVS in cap. IX prioris ad Corinthios. *Si Paulus qui tam multos docuit, tamen poſtquam prædicaſſet timuit ne reprobus fieret, quid nos dixerimus? Ne enim exiſtimetis, inquit, quoniam credidiſtis, hoc vobis ſufficere ad ſalutem. Nam ſi mihi prædicaſſe, docuiſſe, innumerabiles adduxiſſe, non ſatis eſt ad ſalutem, niſi meæ quoque actiones ſint ejuſmodi, vt in eas nulla cadat reprehenſio, multo magis vobis.* Et poſteà. *Rectè dixit, Qui videtur, aut qui exiſtimat ſe ſtare, videat ne cadat. Hoc enim non eſt ſtare, vt ſtare oportet, ſibi ipſi confidere: nam cito cadet qui eſt ejuſmodi. Quamobrem, etiamſi ſtes, caueas ne cadas. Hic enim ſtare, nòn eſt firmiter ſtare, donec fuerimus liberati a fluctibus vitæ præſentis, & ad tranquillum portum nauigauerimus. Ne ergo eo quod ſtes efferaris & inſoleſcas, ſed caue caſum: Nam ſi timuit Paulus qui erat omnium fortiſſimus, multò magis nos timere aportet.*

HIERONYMVS lib. II. aduerſus Pelagianos. *Ne beatum dixeris quempiam ante mortem: quandiu enim viuimus*

in certamine ſumus: quamdiu in certamine, nulla eſt certa victoria.

Idem in cap v Oſeæ. *Quæritur, Si tenente Deo nullus de manibus ejus poteſt eripere, juxta illud quod ſcriptum eſt, Nemo poteſt rapere de manu patris meï, quomodo Iudas de manu Deï proditione ſit raptus? Ad quod breuiter reſpondebimus, Nullum poſſe rapere de manu Deï, poſſe autem eum qui tenetur, propriâ voluntate de manu Deï excidere.*

AVGVSTINVS lib. xi de ciu. Deï cap. xii. *Hodie non imprudenter beatos vocamus, quos videmus juſte ac pie cum ſpe futuræ immortalitatis hanc vitam ducere, ſine crimine vaſtante conſcientiam, facilè impetrantes de peccato hujus infirmitatis diuinã miſericordiam. Qui licet de ſuæ perſeuerantiæ præmio certi ſint, de ipſa tamen perſeuerantia ſua reperiuntur incerti. Quis enim hominum ſe in actione profectuque juſtitiæ perſeueraturum vſque ad finem ſciat, niſi aliqua reuelatione ab illo fiat certus, qui de hac re juſto latentique judicio non omnes inſtruit, ſed neminem fallit?*

Idem in Pſal. cxxvi. *Salomom erat tempore ſuo filius David, magnus ille, per quem multa præcepta & ſalubria monita, & diuina ſacramenta Spiritus ſanctus in diuinis litteris operatus eſt. Sed ipſe Salomon mulierum amator fuit, & reprobatus eſt a Deo: & vſque adeò laqueus illi fuit illa cupiditas, vt a mulieribus etiã idolis ſacrificare cogeretur, ſicut de illo ſcriptura teſtis eſt. Sed ſi illo cadente quæ per illum dicta ſunt, delerentur, indicaretur quia ipſe dixerat, non quia per illum dicta erant. Optimè igitur etiam hoc egit miſericordia Deï & ſpiritus ejus, vt quicquid boni per Salomonem dictum eſt, Deo tribueretur, peccatum autem hominis, homini. Quid mirum, quia in populo Deï cecidit Salomon? In paradiſo an non cecidit Adam? Non cecidit Angelus de cælo, & diabolus factus eſt? Ideò docemur, in nullo hominum ſpem ponendam eſſe.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
86 H 16

Idem de bono perſeuer. cap. XIII. *Ad quam vocationem pertinere nullus eſt homo certa aſſeueratione dicendus: niſi quum de hoc ſeculo exierit. In hac autem vitâ humanâ, quæ tentatio eſt ſupra terram, qui videtur ſtare, videat ne cadat.*

Et de Corr. & gratiâ cap. V. *Si jam regeneratus & juſtificatus in malam vitam ſuâ voluntate relabitur, certè non poteſt dicere, Non accepim, quia acceptam gratiam Deï ſuo in malum libero amiſit arbitrio.*

Et cap. XII. *Ex bona quippe in malam vitam ſua voluntate mutati ſunt: & ideò corripiuntur. Et ſi nihil eis correptio profuerit, ſed in vitâ perdita vſque ad mortem perſeuerauerint, etiam diuinâ in æternam damnatione digni ſunt: quoniam poteſt dici homini, in eo quod audieras & tenueras, in eo perſeuerares ſi velles.*

Prosper Aqvitan. lib. II. de vocat. Gentium cap. XXXVII. *De nullo ante ipſius finem pronunciari poteſt, quod in electorum gloria ſit futurus, vt perſeuerantem humilitatem vtilis metus ſeruet, & qui ſtat, videat ne cadat: & ſi forte aliquâ victus tentatione corruerit, non abſorbeatur triſtitiâ, nec de ejus miſeratio e diffidat, qui alleuat omnes qui ruunt, & erigit omnes eliſos. Dum enim in hoc corpore viuitur, nullius eſt negligenda correctio, nullius eſt deſperanda reparatio. Oret itaque ſancta Eccleſia; & pro ijs qui crediderunt gratias agens, proficentem in eis perſeuerantiam petat: pro ijs autem qui extra fidem ſunt, poſcat vt credant. Nec ideò ab obſeruationibus ceſſet, ſi pro aliquibus exaudita non fuerit. Deus enim qui omnes vult ad agnitionem veritatis venire, non poteſt quenquam ſine juſtitia refutare.*

Idem reſponſ. VII. ad Capit. *Ex regneratis in Chriſto Jeſu, quoſdam relictâ fide, & pijs moribus apoſtatare a Deo, & impiam vitam in ſuâ auerſione finire, multis (quod dolendum eſt) probatur exemplis.*

GRE.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
86 H 16

Gregorius lib. vi in priorem Regum. *Sciri non poteſt, an quis in gratia quam recipit, perſeuerare in perpetuum debeat.*

Bernhardus Sermone 11 de Reſurr. Domini. *Refrigiſcente charitate fides moritur, ſicut corpus anima recedente. .... Sed ſunt nonnulli, qui quum ſpiritu cœperint, heu! carne poſteà conſummantur. Scimus autem, quia jam non permaneat in eis ſpiritus vitæ, quia ſcriptum eſt, Non permanebit ſpiritus meus in homine in æternum, quia caro eſt. Quod ſi non permanet Spiritus, haud dubium quin excidat charitas, quæ nimirum diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum qui datus eſt nobis.*

Lira in Ieſaiæ cap. I. *Anima fidelis & plena judicij, dum Deo obedit, Deus in eâ habitat: Si autem a Deo recedit, non loco ſed merito, habitatur a malignis ſpiritibus, qui ſunt homicidæ animarum.*

Acta Scholæ Pariſienſis. *Forma & modus reuocationis factæ Pariſiis per Fratrem Guidonem ordinis heremitarum ſancti Auguſtini actu legentis Pariſiis in Scholis dicti ordinis Anno Domini* 1354. *die* XVI *menſis Maij.*

Ego hoc anno legendo & reſpondendo ambulaui in magnis & mirabilibus ſupra me: Verbum veritatis non rectè tractando, ſed verbis contendendo prophanis & vaniloquis, quæ ad impietatem provocant, & audientium ſubuerſionem, ex quibus factus ſum occaſio ſcandali in ſanctiſsima facultate & ordine meo, quod mihi diſplicet bono corde, &c.

Primò dixi, Iſtam concluſionem, *Charitas quæ ſemel elabitur vel deperditur, nunquam fuit vera charitas;* Et eam probaui contra Baccalarium B. Mariæ de mon-

de monte Carmelo. Hanc reuoco, tanquam falſam & hæreticam, & etiam quæ eneruat effectũ Sacramentorum, ſcilicet Baptiſmi, & Pœnitentiæ. Et etiam contra decretum Eccleſiæ in capitulo fideli, Extra. De Summâ Trinit. & fide Catholocâ in Clementinis. Etiam tanquam ſeipſam interimentem. Quod enim nullo modo verum eſt, deſeri non poteſt, vt ait Gratianus. Et præſumptuoſè poſitum eſſe, quod dixi, eam valde probabilem, & tamen eſt contra concluſionem & doctorum opinionem: ſed & Magiſtri ſententiarum, Gratiani, & plurium alorum. Si quæ verò autorittates Auguſtini vel aliorum videantur ad oppoſitum, intelligendæ ſunt de charitate finali, quæ manet in patriâ, de quâ loquitur Apoſtolus 1. Cor. XIII. Charitas nunquam excidit: vel intelligendum eſt de charitate ſecundum efficaciam, vt magiſtermet videtur gloſſare.

PHILIPPVS MELANCHTHON loco de Bonis operis. *Quod autem excidant, & effundant fidem & Spiritum ſanctum, & fiant rei iræ Dei & æternarum pœnarum, quicumque admittunt delicta contra conſcientiam, id multæ ſententiæ clarè teſtantur.* Gal. V. 1. Cor. VI. *Vbi nominatim Paulus hoc concionatur.*

Idem Comment. in 1. Cor. X. vbi verba illa Apoſtoli tractat, *Qui exiſtimat ſe ſtare, videat ne cadat, ſcribit, Quod autem in aliquibus qui initia fidei habuerunt, & poſteà lapſi non redeunt, fides illa priuſquam excutitur, vera ſit, dictum illud Petri teſtatur.* 2. Petri II.

Et

Et loco de Fide. *Exempla cogitemus Saulis & Dauidis, qui & beneficia quæ recenſui (illa ſunt Creatio, patefactio Deï, miſſio Filij, donatio verbi & Euangelij, donatio Sp. ſancti, promiſſio vitæ æternæ, nutritio & defenſio corporis & animæ, depulſio Diaboli, litterarum & veræ doctrinæ oſtenſio, gubernatio diuina in moribus & conſiliis, felicitas conſiliorum &c.) tenuerunt ante lapſum, & poſt lapſum exuti tantis bonis, pœnas ſenſerunt quas recitaui. Hæ ſunt ira Deï, pœna æternæ, mors, calamitates præſentes publicæ & priuatæ, amiſſio donorum, inopia, morbi, infamia, infelicitas conſiliorum, infelicitas ſtudiorum, errores & furores, infelicitas liberorum, Diaboli tyrannis, impellens in plura peccata, & maiores miſerias.*

Reform. Colonien. ſcripta a Bucero & Philippo. capite de bonis operibus. *Quum peccatur, fiducia in Chriſtum repellitur, & gratia atque æterna vita abjicitur, & actum eſt de ſalute hominis, niſi recepta fiducia Chriſti, & depulſa omni aliena fiducia, homo ſe Deo in obedientiam penitus reſtituat.*

Rurſum capite de conuerſione a peccatis. *Vehementer dolendum & deplorandum eſt, tantam eſſe humanam infirmitatem & Diaboli potentiam, vt tam multi ex ijs qui in filios Dei adoptati ſunt, ab inchoatâ obedientiâ Dei adeò facilè recedant, & perceptam gratiam & Spiritū ſanctum rejiciant: ingrati erga Deum ſuum, quem tam impiè offendunt, & erga Seruatorem ſuum Chriſtum quem adeò nefariè repellunt: erga Spiritum ſanctum, quem tam perfidè contriſtant: pernicioſi quoque in ſeipſos: nam iram Deï in ſe prouocant.*

Confessio Avgvstana Art. xi. de Pœnitentia. *Damnant Anabaptiſtas, qui dicunt, homines ſemel juſtificatos non amittere Spiritum ſactum.*

Confessio Saxonica. Artic. x. De Diſ-

crimine peccatorum. *Quum dictum ſit, in renatis manere peccata, neceſſe eſt tradi diſcrimen.* Nam ex dicto Lucæ XI. *Vadit & adſumit ſeptem alios ſpiritus nequiores ſe, & ingreſſi habitant ibi, &c. & ex ſimilibus dictis manifeſtum eſt, aliquos renatos contriſtare & excutere Spiritum ſanctum, rurſus abjici a Deo, ac fieri reos iræ Deï, & æternarum pœnarum. Et Ezech. XVIII ſcriptum eſt, Quum receſſerit juſtus a juſtitia ſua, & fecerit iniquitatem, morietur in eâ: & quum receſſerit impius ab impietate ſua, & fecerit juſtitiam, viuet in eâ. Neceſſe eſt igitur diſcerni peccata, quæ in ſanctis in hac mortali vitâ manent, nec excutiunt Sp. ſanctum, ab aliꝭs peccatis, propter quæ homo rurſus fit reus iræ Dei & æternarum pœnarum. Et Paulus* Rom. V. *diſcernit peccatum regnans & non regnans. Et alibi inquit, Si ſecundum carnẽ vixeritis, moriemini; ſi actiones carnis ſpiritu mortificabitis vivetis.* Et quæ ſequuntur; eſt enim locus prolixor.

Confessio Bohemica. Cap. VII. *Poſteà etiam ideo præſtanda ſunt bona opera, vt Chriſtiani electionem atque vocationem ſuam in ſeſe confirment & exædificent, & cavendo peccata mortalia eam conſeruent, ſicut S. Petrus docet, quũ inter cætera ſic ſcribit. Quare, fratres, ſtudete potius vocationem & electionem veſtram firmam reddere, ſeu confirmare. Quomodo autem hoc fieri poſſit, paullo ante breuibus oſtendit. Omni ergo ſtudio veſtro in hanc rem allato, exhibete cum fide veſtrâ virtutem, cum virtute verò ſcientiam, cum ſcientia continentiam, cum continentia autem tolerantiam, cum tolerantiâ pietatem, cum pietate amorem in fratres, cum amore in fratres charitatem: hæc enim ſi vobis adſunt, & in vobis abundant, neque ſegnes, neque parum idoneos vos conſtituent ad cognitionem Domini noſtri Ieſu Chriſti. Quo loco S. Petrus manifeſte oſtendit, bonis operibus exercendis operam dandam, ob cauſſam vnam, ne quæ adeſt nobis*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
86 H 16

bis gratia fideï & bonæ conſcientiæ vel amittatur, vel polluatur, ſed vt hæc potius conſeruetur. Spiritus enim ſanctus fugit idololatras, & recedit a prophanis, & malus impuruſque ſpiritus reuertitur in vacuam & otioſam domum. Quicumque etiam conſcientiam bonam vel amittit vel polluit, quid is laudabile Deoue grati aut pretioſi operis præſtare poterit? quomodo precibus operam dabit? &c.

CONFESSIO ANGLICA edita Anno 1562. Artic. XVI. *Poſtquam recepimus Spiritum Sanctum, poſſumus recedere a gratiâ.*

MARTYR in Cor. XIII. *Qui verè credunt, quum labuntur in grauia peccata, & nihilominus eadem credunt quæ prius, abſque fide dici non poterant, quum tamen charitate ſit exſpoliati. Cæterùm non admittimus, dum in ſuis peccatis verſantur, eos fidem habere. Illis Apoſtolus teſtimonium defert, quod fateantur ſe noſſe Deum, ſed illum factis negent. At cum ſolida & vera fide negatio Deï minimè conſentit. Ideò iſti ſimulachrum potius & ſpectrum fidei, non autem veram de qua modo agimus retinere dicuntur.*

VVOLGANGVS MVSCVLVS locis Communibus, agens De Peccato. *Diſputant, inquit, de eo, Fierine poſſit, vt quod veniale peccatum erat, propter quaſdam circumſtantias fiat mortale: vt ſi ebrietas frequentetur, & in conſuetudinem ducatur, & ira diutius retenta corroboretur. Nos ſentimus & hic quoque qualitatem delinquentis eſſe conſiderandam. Quod ſi is qui cæleſtis fuerat gratiæ particeps factus, ab ea gratia exciderit, & ex homine juſto, pio, fideli, ac Dei timente, factus fuerit injuſtus, impius, infidelis, ac contemptor Dei; quemadmodum hujus conſcientia puritate fidei amiſſa morti facta eſt obnoxia: ita & omnia illius peccata, quæ dum in gratia erat, venialia fuerant, in mor-*

talia conuertuntur. Sic Ezech. XXVIII. *legimus, Quum receſſerit juſtus a juſtitia ſua, feceritque iniquitates, morietur in eis. Item, Omnes juſtitiæ ejus obliuioni tradentur. Quid autem aliud conſequi poterit, ſi arbor bona peruertatur in malam, quam vt & ipſi fructus e bonis fiant mali? Qui a principiis fidei ac ſpiritus boni ad perfidiam degenerant, omnem ſuam vitam quæ veniæ perticeps erat, mortalem conſtituunt: quales illi ſunt, qui cum Galatis ſpiritu quidem incipiunt, tandem verò carne deſinunt. Illi condemnationi ſunt obnoxij, & eorum peccata non amplius venialia ſunt, ſed mortalia, niſi reſipiſcant, & ad gratiam ſanguinis Chriſti vnde prolapſi ſunt, reuertantur: ſi tamen ita prolapſi ſunt, vt reſipiſcentiæ ac redeundi ad gratiam locus eſſe poſſit. Scio hic a nonnullis aliter ſentiri: verum quid mihi videatur, abſque illorum injuriâ liberè dico.*

ECCLESIÆ LVBECENSIS, HAMBVR. LVNEBVRG. ROSTOCH. SVND. VVISMAR. BRVNSVVIC. GRYPSVVALDENSIS, DANTISCANA, in Syntagmate Doctrinæ edito per Ioannem VVigandū & Matthæum Iudicem. *Fidem ſemel conceptam amitti rurſus poſſe, dicta & exempla demonſtrant. Nam Petrus* 2. Epiſt. cap. II. *docet, fore pſeudo doctores, qui Dominum qui ipſos mercatus eſt, abnegent, & qui viam veritatis maledictis adficiant, & multos ab agnita veritate defecturos, & poſtrema peiora prioribus facturos,* &c. Locus eſt prolixior. p. 894. Rurſum. *Poſſunt omninò deficere renati:* quod multis ibi & teſtimoniis & exemplis probatur ex vetere Teſtamento. pag. 457.

HENRICVS MOLLERVS in Pſalmū LI verſum 12. *Dauid amiſerat Sp. Sanctum per peccatum, & priuatus erat donis. Itaque ipſo diſcedente aut non regente Duidem, cor ſtatim pollutum*

eſt

eſt omnis generis ſceleribus. Ideò petit rurſum in ſe creari cor mundum, id quod Apoſtolus dicit Actor. XV. *purificatum fide, a peccatis ſcilicet & reatu, vt recte ſentiat de Deo, verè agnoſcat Deum, ſine hypocriſi aut ſimulatione, ſed accedat ad eum, inuocet eum, credat in eum, timeat eum, obediat ei &c.*

CHEMNITII & HEMMINGII, aliorumque ſententias non commemoramus: conſtat enim, eos Theſin iſtam acriter tueri.

FR. IVNIVS in Parallelis ad Hebr. III. 6. *A Domino nihil plane defuturum eſt, modo ne nobis deficiamus ipſi.* Et ad verſum 12. *Chriſtus poſtulat a nobis vnicam condicionem, nempe vt maneamus in ipſo, & circumſpiciamus, attendamuſque nobis ab omni peccato & infidelitate, quemadmodam ipſe in nobis ſpondet ſe manſurum eſſe.*

Iterum ad Hebr. VI. 4. 5. 6. ſic adnotat in Parallelis. *Si non poſſet fieri vt iuſtus vel credens aliquis deficeret, neque hypotheſin hanc facturus eßet Apoſtolus, neque ex hypotheſi tam graue pronunciatum allaturus, neque ad hanc cauſſam quæ agitur, hoc dictum Hebræis, quibus ſcribebat, accommodaturus.* pag. 416.

ΑΝΑΣΚΕΥΗ.

Atque hæc quidem quæ hactenus protulimus, tam ſunt manifeſta, vt negari non queant: tam ſalutaria, vt nec poſſint nec debeant: ſunt enim ἀξιόπιστα, καὶ παντὸς χρύσου χρυσότερα· Quia tamen intelligo nonnullos pauca è multis ardortos eſſe, & tanquam milites palabundos aggreſſos ex inſidiis & ſingulatim excuſsiſſe, quos in acie ſub ſuis ſignis diſpoſitos veriti fuiſſent vel eminus contueri, decreui ea ipſa teſtimonia ſcripturarum in integrum reſtituere & ad ſuos ordines

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
86 H 16

reuocare, certâ cum ſpe, manifeſtiorem fore veritatem poſt iſtud examen: non eo tantùm, quod ſua ſponte ἀνίκητος ſit ἀλήθεια, ſed etiam, quia melius patebit quam miſerè nullo freti præſidio quidam pauca è multis teſtimonia ſcripturarũ non ἑρμηνεύ σαντες ſed παρερμηνεύσαντες· eludere conati ſint. Cujus reî culpa non in animi malignitatem, ſed in zelum tuendæ hypotheſos ejus quam veram putant, transferenda eſt.

AD EXCEPTIONES RESPONSIO.

Citatur 1. Theor. Demonſtr. IV. p. 34.

TESTIMON. Rom. XI. 20. *Ipſi per incredulitatem defracti ſunt.*

1 EXCEPTIO I locus iſte non agit de defractione ab interna communione cum Chriſto, quæ fit per fidẽ: ſed de externâ vocatione ad populum & Eccleſiam Deî. 2 Non agit de defractione ſingularium membrorum, ſed de totius gentis Iudaîcæ defractione: &c.

RESPONSIO. Hæc quid valeant vix intelligo: nam 1 Quotquot vocantur externè, ijdem quoque vocantur ad intrinſecam cum Chriſto communionem, citra vllã exceptionem. Et quotquot vocationem illam ſpernunt, ſpernunt intrinſecam vocationem cum Chriſto: neque fingenda eſt vocatio externa & hiſtrionica habens ſchema aut colorem ſeriæ vocationis, quæ tamen a ſeriâ & aperta diſtet. Alienum hoc eſt a natura Dei, lege ipſius, veritate, fœdere. Quum ergo Iudaei externè vocati ſint, ſeriò voluit Deus ipſos conuerti & credere in Chriſtũ: ipſi verò quia non crediderunt, reddiderunt inefficacẽ
Luc. VII, 30. voluntatem Dei, ſiue, vt loquitur ſcriptura, aſpernati ſunt conſilium Dei aduerſus ſemetipſos. Præterea ſi illi per

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
86 H 16

per incredulitatem excluſi ſunt ab externâ communicatione cum Chriſto, multò magis excluſi ſunt ab internâ.

11 Quod negant de ſingulari defractione agi, ſed de totius gentis reiectione, id tantundem valet. Qualis enim apoſtaſia, talis defractio. Defecit vnus? defringitur vnus. Defecit gens? defringitur gens. Si redit de gente defectrice vnus aliquis, reſtituitur vnus: ſi plures redeunt, plures reſtituuntur. Et, ſi genti defectrici non parcit Deus, ſed eam defringit, quantò minus parcet vni deſertori? niſi putemus vnius credentis condicionem eſſe certiorem quam totius gentis aut Eccleſiæ: Quod autem Iudæis accidit, nobis terrori eſſe debet. Iam finge valere ſententiam illam eluſoriam, ſequetur: Tametſi Iudæi ob incredulitatem defracti ſint, tamen electos nō poſſe defringi: Et quia de ſe quiſque tenetur credere quod ſit electus, concludet quilibet de ſe, Ego ob incredulitatem aut alia peccata non poſſum a Deo defringi. Quod quid eſt aliud quam ſubſuere puluillos?

11 Ad locum 1 Cor IX. 27. *Contundo corpus meum & in ſeruitutem redigo, ne quo modo quum aliis prædicauero ipſemet reprobus fiam.* Citatur 1. Theot. Demonſtr. IV. p. 33.

Exceptio. Vox Græca quâ Paulus vtitur, eſt ἀδόκιμος, quæ non ſignificat reprobum hoc loco, ſed reprehenſione dignum, ſicut etiam 2. Cor. XIII. 6. 7. Deinde, non dicit Apoſtolus ne ipſemet ἀδόκιμος fiam, ſed ne quomodo: contingit enim interdum fidis quoque paſtoribus vt ex infirmitate cadant, qui tamen fidem intereà ſeruant.

Responsio. Quid hic ſit ἀδόκιμος doceat nos Ignatius. Is ergo epiſtolâ II quæ eſt ad Trallianos quū

dixiſſet,

dixiſſet, πολλά μοι λείπει, ἵνα θεοῦ μὴ ἀπολειφθῶ: *multa mihi deſunt, vt ne deſerar a Deo.* Addit in fine epiſtolæ, Καὶ περὶ ἐμοῦ προσεύχεσθε, εἰς τὸ καταξιωθῆναί με τοῦ κλήρου, οὗ περίκειμαι ἐπιτυχεῖν, ἵνα μὴ ἀδόκιμος εὑρεθῶ. ἔτι γὰρ ὑποκίνδυνος εἰμί. *Etiam pro me orate, vt dignus habear ſorte ea ad quam aſſequendam deſtinor, vt ne* ἀδόκιμος *inueniar: adhuc enim in periculo verſor.* Optat Ignatius, vt per martyrium perueniat ad gloriam æternam. Oſtendit autem fieri poſſe, vt fruſtretur; quod ſi fiat, dicit ſe fore ἀδόκιμον: Ergo non obtinebit vitam, ſed erit excluſiſſimus. Eadem Apoſtolo & mens & oratio. Cur ita fatigaris B. Paule, cur æſtuas, cur tantum laborum, ærumnarum, periculorum ſuſcipis? Vt quum aliis prædicauero, ipſe quoque per Euangelium ſaluer. *Facio,* inquam, *hoc, propter Euangelium, vt vnà particeps ejus fiam.* Quid ſi verò non fias ejus particeps, quid eris? Reprobus, rejectaneus, ἀδόκιμος, adulterinus, excluſus atque extorris. Idem igitur valent, reprobum eſſe, & non eſſe participem Euangelij: idem quoque, fieri participem Euangelij, & non reprobari. Sed poteſtne ô Sancte Apoſtole etiam tibi contingere vt reproberis? Poteſt. Poteſtne etiam vitari tantum malum? Poteſt: Et quidem, (vt ne omnia nunc recenſeam remedia) per continentiam. Proinde, inquit Apoſtolus, *ſicut is qui agone* Olympico *certaturus eſt, in omnibus continentiam præſtat;* ita & nos: *Sed illi hoc faciunt vt corruptibilē coronam accipiant, Nos autem,* & quidem multò æquius, *vt incorruptam. Itaque contundo corpus meum, & in ſeruitutem redigo, ne quo modo, quum aliis prædicauero, ipſe reprobus,* rejectaneus, ἀδόκιμος, *fiam.* Audiamus nunc etiam Chryſoſtomum. *Si hoc,* inquit, *timuit Paulus, qui tam multos docuit, & ſi hoc*

timuit

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
86 H 16

timuit poſtquam prædicauit, & factus eſt nuncius, totiuſque mundi præſidium ſuſcepit, quid tandem dicemus nos? Ne enim exiſtimetis, inquit, quoniam credidiſtis, id vobis ſufficere ad ſalutem: nam ſi mihi prædicaſſe, docuiſſe, innumerabiles adduxiſſe, non eſt ſatis ad ſalutem, niſi meæ quoque actiones ſint ejuſmodi, vt carpi non poſſint, multò magis vobis priora illa non ſufficient. Non potuit timere Apoſtolus niſi grande periculum, nimirum, ne non fieret *particeps Euangelij*, ne redderetur ἀδόκιμος, ne fine ſibi propoſito excideret, quod quid eſt aliud quam fieri reprobum? Piſcator ſanè verba iſta explicat hoc modo: Ne reprobus fiam, id eſt, æterno exitio damner, atque ita reprobus eſſe declarer. Ipſe quoque ſententiæ iſtius oppugnator, ipſe nouæ diſtinctionis autor, quum contra nos ſtat, pugnat pro nobis: tanta enim eſt veri vis, vt qui illam euerſam volunt, ſæpè etiam ſtabiliant. Dicit, ἀδόκιμον ſignificare reprehenſione dignum. Cujus? Dei vtique, cui Paulus placere ſtuduit. Qui autem reprehenſione diuinâ dignus eſt, quid refert? præmium? Nequaquam. Quid ergo? Iram, & excandeſcentiam, afflictionem atque anguſtiam: quod quid eſt aliud quam reprobari? Sed putauit omninò reprobos omnes tales eſſe quales ipſe animo conceperat, hoc eſt, antecedente actu Deî morti atque exitio ab æterno deſtinatos, etiam antequam decreuiſſet Deus ipſos vel homines facere, vel in rerum naturam producere: quum tales reprobi neque ſint, neque eſſe poſſint: ac proinde Paulus talis fieri non potuerit.

Neque verò vlla ipſi præſidij copia eſt in loco 2 ad Corinth. cap. XIII verſu 6. 7. Eadem enim illic reproborum ratio quæ hic. Si doctrina mea falſa eſt, inquit:

Apoſtolus, neceſſe eſt vel vos reprobos eſſe, ô Corinthij, hoc eſt rejectaneos, inuiſos Deo atque exoſos, vel me. De vobis non feram ipſe ſententiam: *Ipſi vos tentate an ſitis in fide, voſipſos explorate, Annon agnoſcitis voſmetipſos, Ieſum Christum in vobis eſſe? niſi reprobi estis.* De me nihil dicam hoc tempore ſublimius: hoc vnum dicam, *Sperare me, vos cognituros quod nequaquam ſimus reprobi.* Tametſi nolim vos tam de me eſſe ſollicitos, quam de vobiſipſis. Ego enim me quum Deo probaui, planè ſecurus ſum de judicio humano. *Opto igitur a Deo, nequid mali faciatis: non vt nos probi appareamus, ſed vt quod bonum eſt faciatis, licet nos velut reprobi quibuſdam ſimus.* Quod autem additur, B. Paulum dicere *ne quo modo*: id leuius eſt, quam vt reſponſione accuratiore dignum ſit. Quoties enim hæc formula legitur, in aperto diſcrimine?

III Ad locum 1. Cor. x. 12. *Qui ſibi videtur ſtare, videat ne cadat.*

Exceptio negat agi illic de vere credentibus, ſed de ijs qui ſibi videntur credere, hoc eſt de arrogantibus & hypocritis, quia in contextu eſt ὁ δοκοῦν, *qui videtur* monet igitur non πιστούς ſed δοκησιπίστους. Quæ verò ſequũtur verſu proximè ſequente, putat ad verè credentes eſſe directa, *Tentatio vos non cepit, niſi humana,* &c.

Resp. Hiberæ næniæ. Quis vnquam in Attellanâ tam varius fuit & inconſtans ludio, quam hoc loco foret Apoſtolus, ſi iſta vera eſſent? Primùm de ſe & ſui ordinis ſic diceret Paulus. *Hæc ſcripta ſunt ad nostri admonitionem, in quos fines ſeculorum deuenerunt.* Mox mutatâ perſonâ, ſed eodem tamen ſpiritu, concluderet de hypocritis, vel de Suffenis, *Itaque qui ſibi videtur ſtare, videat ne cadat.*

Atque

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
86 H 16

Atque hoc commate ſatis illos pupugiſſet. Inde iterum eodem orationis ductu, ſed ſub alio ſchemate, ad verè credentes ſermonem dirigeret, *Tentatio vos non cepit, niſi humana; fidelis autem eſt Deus, qui non ſinet vos tentari ſupra id quod poteſtis: ſed vnà cum tentatione præſtabit etiam exitum, vt poſſitis eum ſufferre.* Nugæ. Hocne eſt ἐν ἀζύμοις εἰλικρινείας καὶ ἀληθείας ἐρευνᾶν τὰς γραφάς; Sed nos hoc agamus. Δοκεῖν, tam de ijs dicitur qui habent aliquod beneficium diuinum, quam qui non habent: nam & illi qui virtutem habent, non poſſunt ignorare ſe illa eſſe præditos: & qui verè ſtant, videntur quoque ſibi ſtare. Eadem ratio eſt eorum qui puniuntur: non poſſunt non ſentire ſupplicium ij qui cruciantur; & qui errant a via, ſæpè erroris ſui ſunt conſcij. Paulus ad Hebræos. φοβηθῶμεν μήποτε δοκῇ τις ἐξ ἡμῶν ὑστερηκέναι. *Mutuamus ne quis noſtrûm videatur fraudatus eſſe.* Voluit dicere, ne quis noſtrûm fraudetur, quemadmodum alibi loquitur, μήτις ὑστερῇ ἀπὸ τῆς χάριτος τοῦ θεοῦ. Et quod apud Lucam dicit Dominus, *Qui non habet, eï etiam id quod videtur habere, adimetur*: id Matthæus ita concepit, ὃς τις γὰρ οὐκ ἔχει, καὶ ὃ ἔχει ἀρθήσεται ἀπ' αὐτοῦ. Sic Ioan. v. 39. Voluit ergo Paulus hoc loco dicere, Vos Corinthij quum adhuc in luctâ ſitis, nolite vobis ſupparaſitari, & ἐπινίκιον canere περὶ νίκης. Cogitate vos carnem adhuc circumferre, & vtut ad gratiam & vitam vocati ſitis, mementote vos poſſe tamen a gratia & vita excidere. Adi omninò Theorematis prioris Demonſtrationem quartam, pag. 34. Chryſoſtomus hæc omnia luculenter, cujus nos verba in Orthodoxo conſenſu protulimus, pag. 110. Marloratus ad hunc locum ſic notat. Continet hic Epilogus dehorta-

tionem a ſecuritatis vitio, a facili occaſione, quâ per ſecuritatem poſſumus a gratia excidere in horribile Deï judicium. Neq; aliter Caluinus & Beza, quos adire operæ pretium eſt.

Citatur 1. Theor. Demonſtr. IV. p. 33.

IV Ad locum ex ep. ad Philip. II. 12. *Cum timore & tremore veſtram ſalutem operamini, Deus enim eſt qui operatur in vobis velle & perficere, ſecundum beneplacitum.*

Exceptio. Agit Apoſtolus de filiali timore, qui certitudinem ſalutis non excludit.

Resp. Videtur qui ita loquitur ſe comparaſſe aduerſus eum qui certitudinem ſalutis euerſam velit. At non nobis illa mens eſt aut animus. Illam enim oppugnamus duntaxat, quæ decreto abſoluto de ſingularibus quibuſdam perſonis ſaluandis nixa eſt: moralem quæ lege & Euangelio proponitur, non imus oppugnatum ſed illam ipſi proponimus. Filialis autem timor etiam conjunctus eſt cum periculo & metu exhæredationis: *Ramis* enim *naturalibus non parcet Deus, ſi degenerent:* Et, *omnem palmitem non ferentem fructum in Chriſto exſcindet Pater.* Quod ſi autem fructum ferat, colet eum Pater, purgabit, vt fructus vberiores ferat. Eſt ergo certitudo quædam moralis, quale & judicium ipſum Deï futurum eſt. *Ne efferior itaque, ſed time.* Timor certitudinem illam abſolutam & decretoriam excludit: moralem ponit. Timentibus enim certò obtinget ſalus: quia timentes ſoli officium faciunt. Atque huc ſpectant Apoſtoli verba: quorum mens iſta. Non debetis ſecure agere, sed cum timore & tremore neceſſe eſt ſalutem veſtram operemini. Quid ita? Deus enim imminet vobis, inſpector cordium, legiſlator, ἐργοδιώκτης, qui neque velle operatur

tur niſi in pœnitentibus, neque perficere niſi in vigilantibus, orantibus, omniqueſtudio & fide ad Chriſtum contendentibus. Si in conſpectu Principis ſtandum vobis foret, & opus aliquod adfabrè elaborandum, annon id faceretis cum timore? Iam, vobis injunxit Deus operem longè maximam, nimirum, vt ſalutem veſtrã operemini ipſo inſpiciente, & cuncta ad normã ſuam exigente: & ad huc otioſe agetis? tepebitis? ſecuri & lanquidi eritis? Atqui ille ſine cujus gratia nihil poteſtis, non adfundit ſpiritum ſuum niſi timentibus & trementibus, & pauentibus ad nomen ejus; tales enim ſoli gratiam ipſius depoſcunt, & quia depoſcunt, impetrant. Ieſaiæ LXVI. 2. *Ad quem reſpiciam? Ad pauperem contritum ſpiritu, ac trepidantem ad verbum meum. Audite igitur verbum Jehouæ, qui tripidatis ad verbum ejus.* Et 1. Petri. *Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam.* 1. Cor. IX. 24. *Neſcitis, quod qui in ſtadio currant, omnes quidem currunt &c.* Porrò de certitudine ſalutis morali poſteà agemus.

V Ad verba Apoſtoli ex 1 ad Timoth. 1. 19. *Milita bonam militiam, retinens fidem & bonam conſcientiam, qua expulſa, nonnulli naufragium fideï fecerunt.* Citatur I. Theot. Demonſtr. v. p. 35. & Demonſtr. VI. p. 24.

EXCEPTIO. 1 Fides hic ſignificat nudam notitiã. 2 Hymenæus & Philetus bonam conſcientiam repulerunt, non eam quam habuerunt ejiciendo, ſed oblatam non admittendo: nunquam igitur habuerunt bonam conſcientiam. 3 Conſcientia bona hic ſignificat ſynceritatem actionum, non animum Chriſti ſanguine pergatum.

RESP. Hoc verò eſt perplexari, & non tantùm verba Apoſtoli ſed propria etiam commenta euertere.

1 Cujus rei fecerunt naufragium iſti apoſtatæ? Fidei. At cujus? Illius ipſius, quam vult Paulus ſeruari a Timotheo. *Retine* inquit *fidem, cujus alij naufragium fecerunt.* Si illorum fides non fuit vera, ſi nudam tantùm habuerunt notitiam, non erat tam ſtudioſè monendus Timotheus vt fidem retineret. 2 Si illi nunquam habuerunt bonam conſcientiam, quomodo hortatur Apoſtolus diſcipulum ſuum ne ad exemplum illorum apoſtatarũ ſe componat? Eſt enim acumen in antithetis, retinere & rejicere. Non dicit, tu admitte conſcientiam quam alij excluſerunt, ſed *retine quam alij rejecerunt.* Non poteſt retinere Timotheus quod non habet, Ergo neque apoſtatæ iſti potuerunt rejicere, quod non ante habuerunt. Intereà non examinabo id quod hoc loco dicitur, poſſe quemquam bonam conſcientiam oblatam ſibi non admittere: neque enim vnus in hac formulâ error latet. 3 Bona conſcientia quum ſignificat ſynceritatem & candorem, animumque ſimulationis expertem, ſemper in ijs qui peccant (quales fuerunt Hymenæus, & Philetus, ex ipſorum Hypotheſibus) conjuncta eſt cum ignorantia. Talis conſcientia fuit in B. Paulo ante conuerſionem; qui Iudaïſmo adhæſit, & Chriſtianos, atque in his Chriſtum ipſum perſecutus eſt. Putauit enim ſe benè facere, quia nihil faciebat contra conſcientiam: atqui peccabat grauiter: quod tunc demum agnouit quum diuinitus edoctus eſt. Vocatur autem conſcientia iſta bona, ex vſu potius, quam ex verò; res enim voci non reſpondet, nam ignorantia eſt, quum vox ſcientiam includat. Itaque eam præſtaret vocare conignorantiam: quanta enim ſcientia eſt in intellectu, tantam neceſſe eſt

eſſe

eſſe in judicio conſcientiam. Quod ſi verò ignorantia aut error ſcientiæ locum ſubeat, quis non videt eos qui intellectum ſuum ſequuntur, licet ſecundum ſcientiam quam habent agant, tamen potius ex ignorantia peccare, quam ex ſcientia? Dicuntur igitur tales ex bona conſcientia agere, quia nihil agunt contrà eam, habent enim zelum ſed non ſecundum ſcientiam. Porrò qui ita peccant, docendi ſunt: quandoquidem intentione & impetu animi feruntur ad bonum: & ſi melius ſcirent, melius agerent. Iam ſi Hymenæus & Philetus talem conſcientiam habuerunt, ſequitur illos ignorantes peccaſſe. Atqui vtraque exceptio prior poſuit illos fidem habuiſſe, hoc eſt, notitiam & ſcientiam de Chriſto. Quomodo fieri poteſt vt ijdem idem ſciuerint & ignorauerint, hoc eſt vt ſcientiam habuerint & non habuerint ejuſdem rei, eodem tempore? Sed hæc omnia inepta ſunt atque ἀσύστατα.

Hoc verum eſt: Hymenæum & Philetum antea credidiſſe Euangelio, ac per fidem proinde fuiſſe juſtificatos. Eoſdem poſteà ſuapte ſponte ad ſeculum rediiſſe, & dum deliberato animo contra conſcientiam peccant, ipſum quoque S. ſanctum excuſſiſſe: quo factum eſt vt fidei quoque ipſius, hoc eſt boni ante poſſeſſi, fecerint naufragium.

VI Ad verba Apoſtoli ex ep. ad Hebr. III. 6. *Cujus domus nos ſumus, ſi modò fiduciam & ſpem illam de qua gloriamur ad finem vſque firmam retinuerimus. Quapropter dicit ſpiritus: Hodie ſi vocem ejus audiueritis nolite indurare corda veſtra.* Ex hoc loco ita colligitur, Citatur 1. Theor. pag. 25. & Demonſt. III. pag. 31.

Qui poteſt ſibi indurare cor, & monetur ne id faciat, ſed excitatur

citatur ad ſeruandum vſque ad finem fiduciam & ſpem, is poteſt finaliter deficere.

Iuſti, ſancti, credentes, poſſunt indurare ſibi cor, & monentur ne id faciant &c. *Ergo.*

Iuſti, ſancti, credentes, poſſunt finaliter deficere.

Exceptio. Ex perſeuerantia patebit ſanctos eſſe domum Dei.

Responsio. Nihil euertitur hac exceptione eorum quæ poſita ſunt: proinde manet inconcuſſa Demonſtratio.

Iterum ex verſu 12. *Videte fratres, ne quando ſit in vllo veſtrum cor malum, non credens, deficiendo a Deo viuo.*

Hebræi fratres poſſunt induere cor malum, non credens, deficiendo a Deo viuo,

Hebræi fratres ſunt credentes & ſancti, *Ergo*

Quidam credentes & ſancti poſſunt induere cor malum, non credens, & deficere a Deo viuo.

Exceptio. I Verba Apoſtoli oſtendunt tantùm, poſſibile eſſe, vt excidant reſpectu humanæ fragilitatis, quum reſpectu diuinæ cuſtodiæ non poſsint deficere. II. Hæ admonitiones ſunt adminicula adſtruendæ in pijs perſeuerantiæ.

Resp. Ad I Hoc tantum abeſt vt euertat illa quæ a nobis dicta ſunt, vt ea quam maximè corfirmet ac ſtabiliat: nam qui dicit poſſe credentes deficere reſpectu ſui, non tantùm conceſsit poſſe illos deficere, ſed etiam cauſſam deſignauit ob quam poſsint deficere, debilitatem nimirum hominibus inſitam. Neque verò hic quicquam valet reſpectus cuſtodiæ diuinæ: nam cuſtodia eſt tantùm condicionalis: ſi enim nos Deum abnegaueri-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
86 H 16

gauerimus, ille nos non cuſtodiet, ſed longè a ſe repellet. Deut. VII. 12. *Si poſtquam audiueris judicia Deï cuſtodieris ea & feceris, cuſtodiet & Dominus Deus tuus pactum, & miſericordiam quam jurauit patribus tuis, ac benedicet tibi.* Quod ſi dicas promiſsionem cuſtodiæ diuinæ eſſe abſolutam; contradices ſcripturæ, omnemque fœderis Deï rationem euertes, quaſi homo peccare poſsit etiam grauiſsimè, Deus hominem ita peccantem non poſsit rejicere. Vox ejus hæc, *Si juſtus non defecerit, viuet:* condicionalis eſt. Voluntas Deï eſt, vide ne deficias, vide vt perſeueres vſq; ad finem: Poſsibilitatem nuſquam prohibet Deusdicendo. Vide ne poſsis deficere, ne poſsibile ſit vt non perſeveres. Poſsibilitas enim eſt indifferens: actus verò vel eſt bonus vel malus. Poſſe deficere, confeſſum eſt: huic adnexum eſt, Poſſe non deficere: vt manente ſcilicet indifferente potentiâ, actus ſit vel deficere vel non deficere, quæ non reſpectibus ſed rebus differunt. Cæterum poſſe deficere & non poſſe deficere plane ſunt ἀσύστατα, ſunt enim contradictoria. Ex quibus apparet, diſtinctionem iſtam de reſpectibus implicare contradictionem: nam ſi illa admittatur idem actus eïdem homini circa idem, eodem tempore erit poſsibilis & impoſsibilis. Poterit inquam idem peccare, & non poterit peccare: poterit perire & non poterit. Vide Reſponſionem ad Exceptionem allatam aduerſus prius Problema pag. 49. Præterea ſi admonitiones admittere eſt contingens, finis quoque adeptio erit contingens: quod ſi finis abſolutè eſt neceſſarius, etiam media erunt abſolutè neceſſaria; tolleturque contingentia, & non erit in homine libertas: Ad actum enim Deï neceſſa-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
86 H 16

rium non poſsunt ſubordinari media ſua ſponte libera, indeterminata, & in vtramque partem mobilia: diſſident enim neceſsarium & contingens, ac non magis poſsunt coïre, quam ignis & aqua. Quod ſi electio quorundam ſimpliciter & abſolutè neceſsaria eſt, non opus erit in ijs qui ita electi ſunt voluntate liberâ, non lege, exhortationibus, comminationibus, bonorum operum ſtudio, aliiſque rebus quæ vel præſtari poſſunt ab homine vel omitti. Quum autẽ propoſito præmio admonitiones, exhortationeſque dirigantur ad eos qui liberi ſunt, & vel agere poſſunt, vel non agere, ſequitur, Si juſtus moneatur ne deficiat a Deo viuo, poſſe illum vel deficere, vel non deficere. Vtut igitur admonitiones ſint adminicula ad perſeuerantiam obtinendam, tamen non determinant volutatem abſolutè: ac proinde non mouent per vim irreſiſtibilem. Per conſequens poteſt quis illas ſpernere, & deficere per apoſtaſiam a Deo viuo; quod erat in concluſione poſitum.

VII Teſtimon ad Hebr VI. 4.5.6. *Impoſſibile eſt eos qui ſemel fuerint illuſtrati, guſtauerintque donum illud cæleſte, & participes facti fuerint Sp. ſancti, guſtauerintque bonum Deï verbum ac virtutes futuri ſeculi, ſi prolabantur, denuò renouari ad reſipiſcentiam.* Hic dicimus vtrumque Theorema noſtrũ exſertè poni,

1 Iuſtus poteſt deſerere juſtitiam, & quidem totaliter.

2 Iuſtitia quæ deſeritur a juſto fuit verè juſtitia.

Exceptio. 1 Non dicit Apoſtolus juſtum deſerere, ſed dicit poſſe deſerere. 2 Externa iſta compellatio eò ſpectat, ne deſerant; atque eodem faciunt verſus 9. & 10.

Resp.

Resp. Quid igitur? exſpectabimuſne dum dicat Sp. Sanctus fideles & juſtos deſerere juſtitiam ſuam & ſanctitatem? Nugæ. Sufficit ſi dicat poſſe deſerere; neque plus ab Apoſtolo requiri debet: Doctrina enim oſtendit vniuerſalem potentiam: euentus vero actum ſingularem prodit. Legiſlator dicit, Quandoquidem fieri poteſt vt deſciſcas a fide & abjicias fiduciam; vide vt prouidè ac circumſpectè viuas. Euentus oſtendit quiſnam prouidè vixerit, ac proinde fidem ſeruârit. Hic autem euentus, ad hiſtoriā & prophetiam pertinet non ad doctorem. Deinde, nego vllam dari poſſe alicujus ſpeciei potentiam, quæ non aliquando ſaltem, & in aliquo indiuiduo abeat in actum: qui ſi non contingit vni, continget alteri. Homo aliquis poteſt fieri rex. Rex poteſt fieri Irus. Rhetor poteſt fieri Conſul: ſi id mihi aut tibi non accidit, accidit forte alteri. Propterea qui nobis concedit poſſibilem eſſe ſanctorum apoſtaſiam, is nobis conceſſit quod petimus: ac neceſſariò debet, ſi modò ingenuè velit agere, in partes noſtras deſcendere. Quæro jam, Si poteſt cadere, quî fit vt non cadat? quid obicem injicit potentiæ? Dices. Fulciri ipſum a Deo ne cadat. Rectè: ſed an non poteſt ipſe divinæ virtuti reſiſtere, & Deum fulcientem deſerere? Poteſt, inquies, ſed hoc non fiet: Non fiet igitur id quod fieri omninò poteſt: Cæterum, quid impedit? Decretum Dei, inquis. Ergo decreto Dei alius impeditur ne cadat, alius quum ceciderit, ne ſurgat. Et quia decretum illud eſt non de fidelibus, juſtis, perſeuerantibus, ſed (ut commodiſsimè loquar, multaque hic largiar) de hominibus ſimpliciter: ipſi autem non poſſunt humanita-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
86 H 16

tem exuere, hoc eſt, non eſſe id quod ſunt: ſequitur, illos ſemper manere electos, ac proinde vitæ æternæ & gloriæ mancipes; Etſi enim fidem, juſtitiam, charitatem excutiant, tamen manent homines, quales eos conſiderauit initio Deus quum ipſos primùm eligeret: Decretum enim in primo momento non eſt de fidelibus, ſed de hominibus ad gloriam perducendis. Verum hæc alîus forte inſtituti ſunt. Porrò totius hujus loci analyſin ſimulque reſponſionem ad poſterius exceptionis membrum pete ex paginâ 55. Adde ex orthodoxo conconſenſu D. Fr. Iunij locum ex Parallelis.

VII Teſtim. Hebr. x. 22. *Si vltrò peccauerimus poſt acceptam cognitionem veritatis, non adhuc pro peccatis reliqua eſt eſt hoſtia.* Et verſu 29. *Quanto acerbiore ſupplicio dignus cenſebitur is, qui filium Deï conculcarit, & ſanguinem fœderis per quem fuerat ſanctificatus profanum duxerit, & Spiritum gratiæ contumelia adfecerit.* Ex quibus verbis concludimus,

1 *Quoſdam poſt acceptam cognitionem deſperatè peccare:* hoc eſt quoſdam illuminatos & juſtificatos deficere vniuerſali apoſtaſiâ.

2 *Quoſdam qui fuerunt per ſanguinem fœderis ſanctificati, filium Deï conculcare & ſpiritum gratiæ contumelia afficere.*

Hæc enim totidem verbis Paulus.

EXCEPTIO eadem cum ſuperiore: proinde valeat pro RESPONSIONE autoritas Apoſtoli, cum accurata verborum ipſius meditatione juxta ea quæ ad ſuperionem exceptionem repoſuimus.

IX Teſtimonium ex 2 B. Petri II. 20. *Si poſtquam inquinamenta mundi per agnitionem Domini & Seruatoris Jeſu*

Chriſti

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
86 H 16

Chriſti effugerint, his rurſum implicati ſuperentur, facta eſt vltima eorum condicio deterior priore. Melius enim fuiſſet eis non cognouiſſe viam juſtitiæ, quam cognita illa regredi a ſancto præcepto ſibi tradito. Sed accidit eis quod vero Prouerbio dici ſolet, Canis reuerſus ad ſuum ipſius vomitum, & ſus ad volutabrum cœni.

1 Hic Apoſtolus agit de cognitione practicâ cui actio conjuncta eſt: dicit enim eos per agnitionem Chriſti effugiſſe inquinamenta mundi. Itaque ratione cognitionis tribuit eis quod viam juſtitiæ cognouerint, & ſciuerint ſanctũ præceptum ſibi traditum: ratione verò actionis dicit eos purgatos fuiſſe, & lotos.

2 Tales verò dicit rurſus poſſe implicari inquinamentis mundi, & ab ijs ſuperari. Atque hoc vocat, *regredi a ſancto præcepto ſibi tradito: Reverti poſt purgationem ad vomitum*, inſtar canis. *Redire poſt lotionem ad volutabrum cœni*, inſtar ſuis.

3 Eos qui hæc faciunt, pronunciat deteriore loco eſſe, quam fuerint prius; ac proinde præſtitiſſe talibus nunquam viam juſtitiæ cognouiſſe.

EXCEPTIO. Non agit B. Petrus de regenitis, ſed de irregenitis: qui notitiam habent radicis expertem, & ex parte duntaxat purgati ſunt, externâ ſcilicet diſciplinâ ipſos intra officij metas cohibente. Proinde locus nihil ad rem.

RESPONSIO. Miror quomodo hæc Chriſtiano homini potuerint venire in mentem contra tam manifeſtam veritatem: Vix ipſe ſolis radius eſt clarior dicto iſto Apoſtoli. Det nobis Deus, vt ἐν ἁπλότητι καὶ εἰλικρινείᾳ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
86 H 16

θεῦ ὡς κατενώπιον τοῦ θεοῦ ἀναστρέφωμεν. Enimuerò propoſitio propoſitioni contraria non efficit refutationem, ſed propoſitionis per ſolidas & firmas rationes deſtructio atque euerſio. *Non agit*, inquis, *de regenitis*. Quinam igitur ſunt illi qui agnouerunt Dominum & ſeruatorem Ieſum? qui inquinamenta mundi effugerunt? qui cognouerunt viam juſtitiæ? qui admiſerunt ſanctum præceptum ſibi traditum? qui purgati fuerunt ab immunditie interna? qui loti fuerunt? Deinde, ſi iſti in bonis iſtis manſiſſent, nec degeneraſſent, aut ad vomitum ſuũ & ſterquilinuim rediiſſent, ſi in quã non fuiſſent regreſsi a ſancto præcepto ſibi tradito, nec fuiſſent implicati inquinamentis hujus mundi, an non fuiſſent vitæ æternæ hæredes futuri? Præterea, quum tales apoſtatæ Angelis deſertoribus comparentur verſu 4. an & Angelorum prior ſtatus in ſola cognitione & externâ diſciplinâ cõſtitit? Poſtremùm, quo jure apoſtatis iſtis grauius ſupplicium irrogari poteſt, ſi non majorem gratiam acceperunt? Clara hæc ſunt & perſpicua: nec noſtra ſunt, ſed Apoſtoli, imò Deĩ. Ne recalcitremus: θεὸς ὀυ μυκτηρίζεται.

x Teſtimon. ex 2 Petri 11. 1. *Erunt etiam inter vos falſi doctores, qui ſubintroducent hæreſes exitiabiles, etiam Dominum qui illos mercatus eſt abnegantes; accerſentes ſibi ipſis velox exitium.* Hic docet Apoſtolus, futurũ, vt quidam redemti a Domino ipſum abnegent & pereant: noſtrũ verò Theorema habet, fieri illud poſſe. Ita quod nos docemus fieri poſſe; docet B. Petrus futurum eſſe.

Exceptio. B. Petrus non agit de emtione reali, ſed de putatiuâ, & quam iſti Pſeudoprophetæ jactare con-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
86 H 16

conſueuerant, & quã fideles ex charitate ipſis tribuerunt.

Resp. Erit igitur hæc verborum B. Petri ſententia. Pſeudoprophetæ illi jactabant aliquando & gloriabãtur ſe redemptos a Chriſto, quum non eſſent: noſque adeò ipſi judicabamus, Chriſtum illos ſibi acquiſiuiſſe, quum nihil minus fecerit Chriſtus. Quid ita? quia Chriſtus nõ eſt redemptor niſi paucorum quorundam abſolutè electorum, atq; iſtorũ duntaxat ſunt Deĩ deſtinatione promiſſiones, & beneficia ſalutaria. Ex iſtorum autem grege non fuerunt falſi illi doctores, imò neq; eſſe potuerunt. Itaq; ipſi celerẽ ſibi perniciẽ accersũt. Profectò non potuit validius euerti ſentẽtia tã inconcinna, quam ſi apertè proponeretur. Porrò effatũ iſtud, *Dominus Ieſus Chriſtus totũ genus humanum ſuo ſanguine mercatus eſt*, non eſſe putatiuè duntaxat, & ex judicio charitatis verũ, ſed reîpsâ ejuſmodi, alibi abunde demonſtratum eſt.

XI Teſtim. ex Apocal. IIII. Iubetur Ioannes ſeribere Paſtori Eccleſiæ Philadelphienſis. *Tene quod habes, vt nemo accipiat coronam tuam.* Ergo, Poteſt aliquis corona ſuâ ſpolari: fitque hoc, ſi quis non retineat dona ſibi data,

Qui non vult ſpoliari corona, debet retinere dona quæ habet,
Tu o Philadelphienſis Epiſcope non vis ſpolari corona, Ergo
Retine dona quæ habes.

Excep. Hæc eò tantum ſpectant, vt ad perſeuerantiã excitetur credens Eſpiſcopus, & ad luctam aduerſus imbecillitatem carnis: nam Deĩ reſpectu ipſe non potuit excidere, id enim ipſi promiſſum fuit verſu ſuperiore his verbis, *Quoniam obſeruaſti ſermonem tolerantiæ meæ, ego quoque te ſeruabo ex tempore tentationis quod venturum eſt in orbem vniuerſum, ad explorandos incolas terræ.*

Resp.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
86 H 16

Reſp. 1 Illud de reſpectibus, examinantum eſt reſponſione ad Exceptionem ſextam. 2 Promiſſio etiam non eſt propriè de fine vltimo, ſed de tentatione, hoc eſt perſecutione externâ vel adflictione, a quâ immunem futurum eſſe Epiſcopum illum pollicetur. 3 Controuerſia etiam noſtra non in eo ſita eſt an Deus ſit futurus infidelis, ſed an homo poſſit eſſe. *Deus* enim *manet conſtans, nec poteſt ſeïpſum abnegare. Fidelis eſt, non patietur nos tentari ſuprà quam poſſumus. Ille bonam partem quam dedit nobis non auferet: non deſeret nos, neque derelinquet nos.* Sed nos voluntate, adfectu, ſtudio, præelectione, peccato, poſſumus Deum deſerere. Nos poſſumus reddi *ſal inſulſum, a gratia excidere, ſpiritum extinguere, deſerere priorem juſtitiam,* ſicut demonſtratum eſt. Quod ſi fiat, fidelis iterum eſt Deus, *ſi nos ipſum abnegauerimus, etiam ille abnegabit nos.* Ille nullam prioris juſtitiæ noſtræ habebit rationem, ille auferet nobis coronam. Hortatur igitur Sp. Sanctus Epiſcopum pium vt perſeueret: ſumpto argumento a periculo: Nam ſi non perſeuerauerit, auferetur ipſi corona.

Cui auferri poteſt corona, is debet tenere id quod habet,
Tibi, ô Epiſcope, poteſt auferri corona, *Ergo*
Tu debes tenere quod habes.

De concluſione nulla diſceptatio eſt. Sed, videſne exceptione illa eluſoriâ negari apertè propoſitionem minorem quam poſuit ipſe Filius Deï? Et, quum Deus dicit, *tibi poteſt auferri corona:* iſtam dicere, *tibi non poteſt auferri corona?* Vtri credam? Quin eſto verus Deus: omnis autem homo mendax.

CON-

CONCLVSIO & Demonſtratio.

Nunc auulſo Exceptionum ſipario, puto ſatis apertam nobis detectamque veritatem. Nos ex locis prolatis ſic colligemus.

Qui per incredulitatem poſſunt effringi, ex vaſis electis fieri reprobi, cadere, naufragium fideï facere, a Deo viuente deſciſcere, ita quidem vt reſtitui eos ſit impoſſibile, ſitq; poſterior illorum condicio deterior priore: qui denique poſſunt abnegare Deum qui ipſos mercatus eſt, & corona ſperata fruſtrari, illi poſſunt totaliter & finaliter excidere, ac proinde monendi ſunt, vt in timore & tremore ſalutem ſuam operentur, vtque fidem & ſpem de quâ gloriantur ad finem vſque firmam retineant,

Atqui credentes & ſancti dum in hoc vitæ ſtadio currunt, poſſunt per incredulitatem effringi &c, *Ergo*

Poſſunt totaliter & finaliter excidere, ac proinde monendi ſunt vt &c.

Videamus nunc quid contrà objici ſoleat.

OBIECTIONES ex Confeſſ. & Catecheſi.

I Ex Articulo XXIV.

RESP. Confeſſio eam duntaxat fœderis partem ponit, quæ Deum ſpectat. vide pag. 9. Controuerſia autem eſt de nobis, vtrum nos non poſſimus noſtris partibus deeſſe, & recedere a fœdere? Et, An quilibet teneatur credere, ſe quum defecerit a Deo retrahendum eſſe?

II Ex Catecheſeos Quæſt. XXVIII.

RESP. Catecheſis docet nullam creaturam nos poſſe a Deï dilectione abſtrahere. vide pag. 6. At peccatum non eſt creatura: niſi Deum ſtatuamus cauſſam mali:

cum Marcionitis & Manichæis. Abſit. vide pag. 85.

III Ex Catecheſ. Quæſt. LIII.

Resp. Proponitur ibi finis donorum Dei, & cur detur credentibus Sp. ſanctus. vide pag. 9. Quæritur autum. An nos ab illo fine non poſsimus deſciſcere per infidelitatem?

IV Ex Catecheſ. Quæſt. LIV.

Resp. Docetur quid ex fide ſuâ quilibet ſentiat, quidque promittere ac præſtare teneatur: vide pag. 4. & 5. Quæſtio autem eſt, An qui fidem habet, non poſſit illam abnegare, & qui hæc promiſit, non poſsit deficere, & promiſsionem non præſtare?

EX SCRIPTVRIS SACRIS.

1 Ex Ierem. XXXII. 30. *Et pangam ipſis fœdus perpetuum, fore vt non auertam me a proſequendis ipſis, benefaciendo ipſis: & reuerentiam meï indam animo ipſorũ, vt non recedant a me.* Et Ierem. XXXI. 31. *Pangam cum domo Iehudæ fœdus nouum.* Et Ieſaiæ LIX. 21. *Spiritus meus qui eſt in te &c.* Ex his colligitur, fœdus eſſe ejuſmodi, in quo Deus omnia faciat, principium, medium, complementum. Et quia Deus fine ſuo excidere non poteſt, niſi aut mendacium veraci, aut imbecillitas omnipotenti, aut mutatio conſtanti impingatur: conſequens eſſe, vt qui ſemel gratiam accepit Spiritus, non poſsit illam vnquam finaliter abjicere.

Resp. 1 Promiſsio pertinet ad Iſraëlitas, hoc eſt ad verè credentes: *non enim omnes qui ſunt ex patre Iſraële ſunt veri Iſraëlitæ.* Talibus verò promittitur ſpiritus Dei: cui promiſsioni euentus quoque reſpondit in Epheſiis,

teſte Apoſtolo, cap. 1. 13. *Vos poſtea quã credidiſtis Euangelio ſalutis veſtræ; obſignati eſtis Spiritu promiſſionis ſancto.* 11 Non negamus nos, Deum indere ſpiritum ſuum cordibus noſtris, & nos gratia ſuâ & fauore proſequi vſque ad finem, ſed de modo quæritur, An ita hoc faciat, vt nos nulla ratione noſtris partibus deeſſe poſsimus? Neque enim oportet cõminiſci iſtiuſmodi fœdus, in quo Deus ita contrahat nobiſcum, vt ſolus faciat omnia. Nam in quolibet fœdere totidem ſunt partes agentes quot ſunt contrahentes. Puta, hic, Deus & Homo. Deus gratioſè in Chriſto exigit a nobis obedientiam: promittit vitã. Homo poſtulat vitam & pollicetur obedientiam. Cedit igitur id quod promittitur, non homini, ſed fideli, hoc eſt, officium facienti. Omne autem fœdus eſt condicionale, ſiue condicio exprimatur, ſiue non.

11 Ex Matth. XXIV. 24. *Excitabuntur Pſeudochriſti & Pſeudoprophetæ, & edent ſigna magna, & miracula, ita vt ſeducant, ſi fieri poſſit, etiam electos Deï, Ecce prædixi vobis.* Ex hoc loco concludunt, Quoſdam non poſſe vllo modo ſeduci totaliter & finaliter, quia nimirum quidã abſolutã voluntate Deî ab æterno ad ſalutem diſtrictè electi ſunt, adeò vt neceſſe ſit, tales, vtcumque res aliæ omnes cadant, tandem ſaluari.

Resp. Illud totaliter & finaliter adjectitium eſt; pannus in purpurâ: Chriſtus enim ſine reſtrictione dicit, *Electos non poſſe decipi.* Quum autem manifeſtum atq; confeſſum ſit, electos interdum decipi ac ſeduci, deſpiciendum nobis eſt de iſtorum verborum διανοίᾳ. Principio non agit Dominus de abſolutè electis hominibus,

quales ipſi definiunt: tales enim in rerum naturâ nulli ſunt, & neque ſcriptura ſacra, neque natura Deï, neque ratio vlla patitur vt ſint: ſed de ijs quos Deus præ alijs fauore aut beneficio ſingulari affecit. Sic paullo ante verſu 22. *Abbreuiabuntur dies propter electos Deï.* Et Lucæ XXII.35. *Alios ſeruauit, ſeruet ſeïpſum, ſi hic eſt ille electus Dei.* Vbi notæ D. Bezæ. ſic habent, ὁ τοῦ θεοῦ ἐκλεκτὸς, Hebr. בחיריהוה id eſt, quem Deus præteritis cæteris hominibus hoc fauore complexus eſt, vt ipſum deſignarit Meſſiam: Aliàs, inquit, ſolent electi Deî vocari quos Dominus ad vitam æternam ab æterno ſelegit: quales (liceat hoc iterum iterumque veritati dare) ſi ex mente ipſius electos capias, nulli ſunt. Et ad Coloſſ.III.12. *Induimini vt electi Dei ſancti & dilecti viſceribus miſerationum.* Hoc eſt, vt a Deo præ cæteris mortalibus adfecti præſtãtibus beneficiis. Ita Paulus Rufum vocat electum in Domino. Rom.XVI. Et LXXII. Interpretes impiis quoque electos tribuunt Pſalmo CXL.5. Μὴ συνδυάσω μετὰ τῶν ἐκλεκτῶν αὐτῶν. Prætereà, Condionalis iſta, *Si fieri poſſet, ipſi etiam electi Dei ſeducerentur*, quum reſoluenda ſit in hanc Categoricam, *Electi non poſſunt ſeduci*, poteſt primùm intelligi de beatis Angelis, qui ſingulariter vocari poſſunt Electi Deî: Ac tunc Rhetorico ſchemate ponetur condicio ſimpliciter impoſsibilis, ad oſtendendam efficaciam deceptionis: Angeli enim beati non poſſunt excidere, quum ſint in gloriâ, hoc eſt in metâ, non in curſu. Quod ſi de hominibus capere libeat, reſoluenda erit ſic, *Electi difficulter poſſunt ſeduci.* Poſſe enim electos, hoc eſt eos quos ſingulari fauore Deus proſequitur, quoſque ipſe illuminauit, in deuia abripi, ſatis jam ſatiſque a nobis in præceden-

cedentibus demonſtratum eſt. Sed quò quis magis corroboratus eſt, eò difficilius ſeducitur. Quod verò difficulter & rarò fit, id aliquo modo induit naturam impoſſibilis. Certè vulgò id vocatur impoſsibile, quia primâ fronte intuenti videtur ejuſmodi. Ita Actor. xx. 16. Et quod ad Galat. ıx. 15. Dicit Apoſtolus, *Si fieri potuiſſet, oculos ipſos veſtros erutos dediſſetis mihi,* non proponitur vt ſimpliciter impoſsibile, ſed ad vehementiam amoris declarandam adducitur. Et notum eſt, in Phyſicis bifariam dici ἀόρατον, tum id quod nullo modo videri poteſt, vt ſunt ſpiritus, & aliorum ſenſuum objecta, ſoni, ſapores, odores; tum id quod difficulter videtur, vt ea quæ ob exilitatem fugiunt viſum. Adi omninò v Metaphyſi. cap. xıı.

Hactenus igitur hoc effectum eſt, Electos, ſiue ſanctos, eoque Deo gratos & acceptos homines difficulter admodum ſeduci. Quomodo autem fit, vt ſeducantur? Nimirum, quum negligunt Deî in ſe dona, quum vel blandientis ſeculi lenociniis, vel comminantis terriculamentis patiuntur ſe a recto mẽtis ſtatu dimoueri, ſicut oſtenſum eſt Poſtulato octauo. Poſſunt igitur ſtare ex dono gratiæ: poſſunt decipi, ex principio inhærentis ſibi peccati, & vi oblati extrinſecus poculi Circæi. Quod ſi exemplo Abrahæ firmauerint animum vtrimque anchorâ fideî & patientiæ; ſtabunt inconcuſsi, mediiſque in tempeſtatibus immoti: ſi verò deſeruerint ſtationẽ, abripientur præcipites. Eſt ergo (ſi de hominibus verba Chriſti accipias) ſententia hæc. *Extremis temporibus magna erit impoſturarum vis. Irrumpent in Eccleſiam Pſeudoapoſtoli, & Pſeudochriſti, edentque miracula & ſigna, tàm ad*

 deci-

decipiendum efficacia, vt parum abſit quin ipſi illi qui Deo chari ſunt, quoſque vulgus mortalium pro Eccleſiæ columnis habet, per ea in errorem rapiantur. Et, quid ſi nonnulli rapiantur? Vos ne turbam errantium ſequimini: mementote, ſemper hæc fuiſſe, ſemper fore, Quumque a me ante ſitis præmoniti, cauete: ſolent enim minùs officere præuiſa: obſiſtite ſcandalis alto & exaggerato animo: ne fidite vobis: vigilate, incumbite precibus cum timore & tremore: niſi facitis; actum eſt: decipiemini; periiſtis. Si quis Syllogiſmi acumine magis adficitur, Ecce hunc,

Qui ſub periculo viuit certæ deceptionis niſi cauerit; ſub ſpe verò certæ victoriæ ſi cauet, eum par eſt in omnes partes eſſe intentum, *Atqui,*

Præcipui in Eccleſia & delecti viri, extremo ſeculo ob ſigna & miracula Pſeudoprophetarum viuent ſub periculo certæ deceptionis niſi cauerint, ſub ſpe verò certæ victoriæ ſi cauent, *Ergo*

Illi debent in omnes partes eſſe intenti.

Concluſio eſt in his verbis, *Ecce prædixi vobis:* Continent enim illa exhortationem ad vigilantiam, aduerſus periculum deceptionis. Minoris pars illa quæ eſt de certâ victoriâ ſi cauerint, continetur is his, *Si poſſibile eſt &c.* altera de periculo, præſupponitur concluſione & totius concionis ſcopo. Major ſupplenda eſt. Eſtque Syllogiſmus iſte ad vigilantiam in pietate & religione excitandam efficaciſſimus. Formetur nunc alius ex mente opponentis.

Qui non poteſt ſeduci, debet vitare deceptionem,
Electi, ex vi decreti non poſſunt ſeduci, *Ergo*
Electi debent vitare deceptionem.

Quis non videt majorem propoſitionem planè in-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
86 H 16

concinnam: totam verò collectioné alienam a mente Chriſti concionantis, & religioni piiſque moribus euertendis comparatam? Quantò melius Lutherus Poſtillâ ad Domin. XXV. Trinit? vbi dicit, *his verbis doceri, fore illorum ſeductorum tantam efficaciam, vt etiam ſancti qui in fide ſtant, ſibi cauere ab illis non poßint, quin etiam cum illis errent, vt etiam factum eſt.* Atque hæc quidem apertè & rotundo ore: nam ſi nobis quoque propoſitum eſſet offucias ſectari, & in dumeta correpere, liceret dicere, Condicionalem eſſe orationem Chriſti; nihil ex ea concludi poſſe: qua quidem Gorgone alij omnia ſibi confecta putant. Sed noſtrum fuit ingenue agere.

III Ex Ioann. III. 14. *Quiſquis biberit ex aquâ illa quam ego ei dabo, non ſitiet in æternum: ſed aqua illa quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam.* Ergo.

RESP. Quid Ergo? Nunquam ex hoc loco efficies, quin qui bibit ſemel, poſſit a bibendo deſiſtere. Ierem. II. 13. *Deſeruerunt me ſcaturiginem aquarum perennium, & foderunt ſibi ciſternas quæ non capiunt aquas.* Sed promiſsio Chriſti pertinet ad eos qui officium faciunt.

IV Ioann. VI. 35. *Ego ſum panis ille vitæ, qui venit ad me nequaquam eſuriet, & qui credit in me non ſitiet vnquam.*

RESP. Etiam hæc verba ad illos pertinent qui faciunt officium.

V Ioan. VI. 37. *Quicquid dat mihi Pater, ad me veniet, & eum qui venit ad me, nequaquam ejiciam foras.*

RESP. Chriſtus non rejiciet venientem: ſed, quid ſi ipſe homo reſiliat? Ioan. XVII. 12. *Quos dediſti mihi ego*

cuſto-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
86 H 16

cuſtodiui, & nemo ex ijs periit, niſi filius ille perditionis. Quid ſi pater indignnm reſecet? Ioan.xv.2. *Omnem palmitem in me non ferentem fructum tollit Pater: iſque poſteà in ignem abjectus ardet.*

VI Ioan.VI.39. *Hæc eſt voluntas ejus qui miſit me Patris, vt quicquid mihi dederit, non perdam ex eo, ſed ſuſcitem illud in vltimo illo die.* Et.39. *vt omnis qui conſpicit filium & credit in eum, habeat vitam æternam: ego verò ſuſcitabo eum vltimo die.*

RESP. Intelligenda ſunt ómnia iſtá de ijs qui ad finem vſque perſeuerant: τὸ ἄπορον hic non tangitur.

VII Ioan. VI.56. *Qui edit carnem meam & bibit meum ſanguinem, is manet in me, & ego in eo.* Et 57. *qui ederit me, viuet ipſe quoque per me.* Et 58. *qui ederit hunc panem, viuet in æternum.*

RESP. Edere carnem Chriſti, eſt credere: promiſſio itaque fit credenti. Quid ſi quis verò deſinat credere? Excidit promiſsione; itaque neque manebit, neque viuet.

VIII Ioan.x.26. *Vos non creditis, non enim eſtis ex ouibus meis, ſicut dixi vobis. Oues meæ vocem meam audiunt, & ego agnoſco eas, & ſequuntur me. Et ego vitam æternam do eis, nec peribunt in æternum, neque rapiet eas quiſquam ex manu mea. Pater meus qui eas dedit mihi major omnibus eſt, neque quiſquam poteſt eas rapere è manu Patris mei.*

RESP. Plura hic ſunt interrogata. Atqui, ὄυτε πλείω καθ᾽ ἑνὸς, οὔτε ἓν κατὰ πολλῶν, ἀλλ᾽ ἓν ἑνὸς ἢ φατέον, ἢ ἀποφατέον. Nos in ordinem redigamus. Theorema noſtrum eſt, Iuſtus poteſt deficere. Quid contrà adfertur? 1 Quiſquis non

credit,

credit,non eſt eſt ouis Chriſti. Nihil hoc ad præſens inſtitutũ; 2 Oues Chriſti audiunt vocem paſtoris ſui: ſed & Chriſtus eas agnoſcit,& ſequuntur eum. Neque hoc. 3 Chriſtus ouibus ſuis dat vitam æternã, itaque nec peribunt; nec rapientur ex manu Chriſti: vtique ſi ad finem uſque oves manſerint. Quod ſi verò ipſi degenerent? nam & ſal poteſt infatuari, ſicut pluribus demonſtratum eſt. Tunc neceſſe eſt pereant. Dices: Promiſsionem Domini eſſe Ezech. XXXIV. 16. *Pereuntem ouem requiram, & depulſam reducam, fractamque obligabo, & ægrotam confirmabo:* Ergo. Huc nimirum vergunt omnia, vt exſpectent peccatores, dum a Deo in alium habitum ſententiamque traducantur. Cæterum, tu qui te verti cupis, & vim deſideras perpeti, vt id quod non vis facias, & quod non cupis arripias coactus, cur reſpuis adſumere voluntate id, quod verſus deſideras atque immutatus efficere? Sed nos propoſito inſiſtamus, Agit Propheta Ezechiel de populo Iſraëlitico diſperſo variè, & falſorum doctorum vaticiniis circumducto. Veſtrâ culpâ, inquit Deus, direptioni eſt grex meus omnibus beſtiis agri. Sed ego eum reducam, Ego pereuntem ouẽ requiram, fractam obligabo, &c. Quod etiam posteà per fidos ductores populi, principes, & prophetas factum eſt. Sed qui reduci noluerunt, ſuntne retracti? nequaquam. Et ex ijs qui redierunt, omneſne probè ſe geſſerunt? nequaquam. Non defuit igitur partibus ſuis Deus: defuerunt ipſi. Qui verò paruerunt, reducti ſunt, obligati ſunt, confirmati ſunt.

IX Ex Ioan. XVII. 15. *Rogo vt ſerues illos a Malo.* Et 20. *Non tantùm autem pro iſtis rogo, ſed & pro ijs, qui per*

ſermonem eorum credituri ſunt in me. Has autem preces exaudiuit Pater. Ioan.xi.41. *Ego ſciebam quod ſemper me audias.*

Resp. Rogauit & pro Iudâ Chriſtus, & Chriſtum audiuit Pater: ac nihilominus ipſe filius perditionis fuit. vide paginam 37: & reſponſionem ad objectionem quinctam.

x Ex ep ad Roman.v.5. *Spes non pudefacit.*

Resp. Vtique ſi ſervetur: quid ſi verò eam abjicias? vide pag.63.

xi Rom.v.9. *Juſtificati igitur nunc ejus ſanguine ſeruabimur multò magis per illum ab ira illa.*

Resp. Rectè; ſi fidem ſeruemus: quid ſi verò conſcientiam lædamus, nec per pœnitentiam reſtituamur, annon neceſſe eſt te fideî faciamus naufragium?

xii Rom.viii.30. *Quos verò prædeſtinauit, eos etiam vocauit, & quos vocauit, eos etiam juſtificauit: quos autem juſtificauit, eos etiam glorificauit.* En (inquiunt) catenam, cujus ſinguli orbes vel annuli ſingulis commatibus comprehenduntur, & quidem adæquate, & ἀντιςρόφως, vt non tantùm prædeſtinati vocentur, juſtificentur, glorificentur: ſed vt ſolis illis hæc accidant, & quidé neceſſariò, neque alijs ea poſſint euenire. Sic ergo colligunt,

Neceſſe eſt omnes juſtificatos glorificari,
Neceſſe eſt omnes prædeſtinatos juſtificari, *Ergo*
Neceſſe eſt omnes prædeſtinatos glorificari.

Resp. i Verba iſta Apoſtoli nihil faciunt ad commentitium illud decretum de ſingularibus quibuſdam perſonis abſolutè ſaluandis: ſed nimirum ſolet hoc ita euenire

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
86 H 16

euenire illis qui fruſtillatim truncant ſcripturas, & ex occaſione occurrentis alicujus voculæ quæ ipſorum intentioni videtur in ſpecié patrocinari, integros ſenſus flectunt. Conceperant quidam animo decretum iſtiuſmodi, Hunc, illum, abſolutè neceſſe eſt ſaluari: hos, illos, neceſſe eſt condemnari. Legebant hic vocem prædeſtinationis, juſtificationis, glorificationis. Scitum ipſis videbatur, dicere, B. Paulum hic illud docere quod ipſi conceperant. Atqui longè aliò hæc ſpectant: quod vt appareat, altius paullo res petenda eſt. Dixerat B. Paulus, crucem & adflictionem patienter fidelibus ſuſtinendas eſſe. Atque in eam rem multa preſsè ac confertâ ſentētiis grauiſſimis oratione protulerat; Inter alia, hoc: Quod pios & ſanctos velit Deus conformes eſſe Filio ſuo. Quum ergo ille multa paſſus ſit, ipſos multa pati neceſſe eſſe, vt cum ipſo glorificētur. Sed pios illos Paulus vocat præſcitos: præſciuit enim præuiditque ab æterno quinam ſancti & pij futuri ſint, quandoquidem nota ſunt ipſi ab omni æuo opera ſua. Præſcientiam autem iſtam ſequitur decretum de perpeſsionibus: Decretum illud excipit vocatio: vtique ad crucem ferendam exemplo Chriſti. Ac ne quis forte putet inuiſos Deo pios eſſe quia adfliguntur; teſtatur Apoſtolus eoſdem per fidem jam eſſe juſtificatos ac proinde gratos Deo in Chriſto. Finem autem iſtarum omnium perpeſſionum dicit eſſe gloriam: planè vt antea docuerat, *Si Chriſto compatimur, futurum eſt vt Chriſto conglorificemur*. Sed audiamus ipſum Apoſtolum. *Nouimus*, inquit, *ijs qui diligunt Deum, omnia* (ac proinde ipſas quoque adflictiones & mortem) *cooperari ad bonum: ijs*, inquam, *qui juxta pro-*

poſitum vocati ſunt: hoc eſt ſanctis, & propoſito Dei reſpondentibus. *Nam quos Deus* tales fore *præſciuit*, eoſdem quoque *prædeſtinauit conformes fieri imagini Filij ſui, vt is ſit primogenitus inter multos fratres*. Ergo ſicut ille paſſus eſt priuſquam introïret in gloriam; ita & nos pati oportet. Eſt autem decretum illud ejuſmodi, vt id in omnibus glorificandis efficax eſſe cupiat. Proinde quos ille prædeſtinauit vt conformes fiant Filio ſuo, eoſdem quoque in tempore ad crucem vocat. Quid ergo, inquies, Iraſcitur ſuis Deus? Nequaquam: Iampridem enim illoſipſos ſanctos quos ad crucem vocauit, juſtificauit: quos autem juſtificauit, eos ſi modo perſtent, glorificare decreuit. Si ergo crucem gloria ſequitur, cur non eam patienter ferimus? ſi crux non eſt argumentum irati nobis Deï, ingemiſcimus? Si cruci ferendæ deſtinati ſumus, cur non ferimus eam volentes? Si denique Chriſtus tulit crucem ſuam noſtra cauſſa, cur nos eam ferre recuſamus? Sed compingamus omnia in vnius Syllogiſmi nodum.

Qui prædeſtinati ſunt a Deo cruci ferendæ, ad exemplum Ieſu Chriſti, quoſque ad eam vocat, quique ſciunt, ſibi, licet iſta patiantur, tamen non eſſe iratum Deum, ſed ſe eſſe juſtificatos, ac proinde gloriæ candidatos, illi debent crucem patienter ferre,

Præſciti, hoc eſt, ſancti, deſtinati ſunt ab æterno cruci ferenrendæ, eoſdemque decreuit Deus in tempore ad adflictiones vocare: ſciuntque ijdem &c. Ergo,

Præſciti, hoc eſt ſancti debent crucem patienter ferre.

XIII Rom. VIII. 35. *Quis nos ſeparabit a charitate Chriſti? num adflictio? &c.* Et verſu 37. *In his omnibus plus quam*

victores

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
86 H 16

victores ſumus per eum qui dilexit nos. Et verſu 38.39. *Nam mihi perſuaſum eſt, neque mortem, neque vitam, neque Angelos, neque ſublimitatem neque profunditatem, neque vllam rem aliam creatam poſſe nos ſeparare a charitate Deï quæ eſt in Chriſto Jeſu Domino noſtro.*

RESP. Totus locus eſt de fidelibus, quos perſeuerare poſſe confeſſum eſt ex Axiomate ſecundo. Vbi inter alia hoc quoque adfertur argumentum, quod Deo pios conſeruante, ipſiſque per fidem aduigilantibus nemo bona ſpiritualia poſsit eripere. Vide pag. 6. Et Objectionem 2 ex Catecheſi.

XIV 1.Cor.1.8.9. *Qui etiam confirmabit vos vſque ad finem inculpatos in diem Domini noſtri J. Chriſti Fidelis eſt Deus, per quem vocati eſtis in communionem Filij ipſius I. Chriſti Domini noſtri.*

RESP. Non poteſt ex his verbis concludi niſi poſsibilitas perſeuerandi, quæ etiam conceſſa eſt Axiomate ſecundo & variè demonſtrata. Sed qui poteſt perſtare, poteſt etiam deficere. Deus nobis non deeſt. Aduigilemus, precibus omnique armatura fideï inſtructi.

XV Epheſ.1.13.14. *In quo poſtquam crediſtis, obſignati eſtis ſpiritu illo promiſſionis ſancto, qui eſt arrhabo hæreditatis noſtræ, dum in libertatem vindicemur ad laudem gloriæ ipſius.*

RESP. Agnoſcimus verba Apoſtoli ijſque credimus: ſed Spiritum ſcimus poſſe contriſtari, excuti, extingui: quod quum fit, periit cum vita æternâ, ipſe quoque vitæ arrhabo, quod & ſequenti loco Pauli ex eadem epiſtolâ indicatur, quem proinde mirum eſt, prolatum ab opponente.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
86 H 16

XVI Epheſ.IV.30. *Ne triſtitia afficiatis Spiritum illum ſanctum Deï, per quem obſignati eſtis in diem redemtionis.*

RESP. Ex hoc loco ſic colligo. Qui poteſt contriſtari per voluntaria peccata eorum qui ſemel crediderunt, is poteſt etiam fugari. Sed Sp. Sanctus poteſt contriſtari, Ergo, poteſt quoque fugari.

XVII I.Theſs.V.23. *Ipſe autem Deus pacis ſanctificet vos totos, & integer veſter Spiritus & anima & corpus inculpatè in aduentum Domini noſtri Ieſu Chriſti ſeruentur. Fidelis eſt qui vocauit vos, qui etiam efficiet.*

RESP. Ex voto non poteſt concludi niſi poſſibilitas agendi. Deus quidem fidelis eſt, vt faciat quod promiſit, imò etiam plus quam promiſit; ſed noſtrum quoque eſt fidem præſtare: amat enim Deus fidelis, hominem fidelem. 2.Tim.II.II. *Fidus hic ſermo eſt; Quod ſi compatimur, conuiuemus: ſi toleramus, conregnabimus: quod ſi verò negauerimus, & ille abnegabit nos: ſi infidi ſumus, ille fidelis permanet, negare ſeïpſum non poteſt.*

XVIII. I Petri I.3. *Qui ex multa ſua miſericordia regenuit nos in ſpem viuam per reſurrectionem I. Chriſti ex mortuis, id eſt, ad hæreditatem quæ nec perire poteſt nec contaminari, nec marceſſere, vobis in cælis ſeruatam: qui virtutis Deï præſidio cuſtodimur per fidem, ad ſalutem paratam patefieri tempore vltimo.*

RESP. Ex quibus hujus ſententiæ verbis colligatur impoſſibilitas defectionis eorũ qui ſemel crediderunt, nullus video. Si dicas, *Regeniti ſunt in ſpem viuam Ergo non poſſunt deficere:* negabitur ſequela. Si dicas *Hæreditas quæ eſt in cælis non poteſt marceſcere, Ergo nec fides :* Similiter negabitur. Denique ſi dicas, *cuſtodimur præſidio virtutis Deï*

per

per fidem, Ergo fides non poteſt deficere. Tamundem erit: poteſt enim fieri, vt fidelis præſidium Dei deſerat.

XIX. Ioan.III 9. *Qui natus eſt ex Deo non peccat, quoniam ſemen ipſius manet in eo: neque poteſt peccare, eo quod ex Deo natus eſt* Hic ἁμαρτίαν ποιεῖν, eſt peccare vſque ad mortem, aut ita peccare vt peccatum dominetur. Sic autem non peccat is qui ſemel verè credidit, idque 1 propter ſemen. 2 quia natus eſt ex Deo.

RESP. Multa hic præter mentem Apoſtoli dicuntur. Atqui verba, inquis, perſpicua ſunt, *Qui natus eſt ex Deo non peccat.* Imò nuſquã æquè interpretes perplexantur; quum & diuina teſtimonia, & euentus huic ſententiæ reclament: Quidam igitur, in eo quod dicitur, ἁμαρτίαν ποιεῖ, putant aliquid latere energiæ: proinde vertunt, dare operam peccato & interpretantur, peccare vſque ad mortem, aut ita peccare vt peccatum dominetur, quum nihil aliud ſit ἁμαρτίαν ποιεῖν peccatum facere, quam ἁμαρτάνειν, peccare, hac enim formula expreſsè vtitur Apoſtolus verſu ſexto, quum dicit, *Quiſquis manet in ipſo non peccat:* Et ſicut ποιεῖν δικαιοσύνην eſt quoduis juſtitiæ opus exercere; ita ποιεῖν ἁμαρτίαν eſt quouis modo peccare. Iam, ſi Dauid habuit in ſe ſemen, & natus eſt ex Deo, ſequetur, illum neque peccaſſe neque potuiſſe peccare, quem tamen conſtat peccaſſe fœdiſsimè, ac niſi fuiſſet per pœnitentiam reſtitutus, nunquam ad cæleſtem gloriam peruenturum fuiſſe. Dices non peccaſſe mortaliter. Atqui, refragatur ipſe Dauid qni propter peccatum ſe reum mortis fatetur. Dices non peccaſſe finaliter. Atqui non eſt exiſtimandum, pec-

cata

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
86 H 16

cata in quibuſdam hominibus ſiſti per ſe. Dices non peccaſſe totaliter. Atqui ad condemnationem ſufficit vel peccatum vnum, imprimis tale: & qui in vno deprehenditur, is reus eſt omniũ. Dices, electũ fuiſſe, ac propterea ex Deo natum, & ſemen Deï in ipſo manſiſſe. Atqui hoc eſt petere τὸ ἐν ἀρχῇ. Deinde peccata (vt ſæpius oſtendimus) non differunt ſubjectis, puta, vt hæc in iſtos cadant, illa non; ſed quælibet poſſunt in quoſlibet, niſi cautè vitentur principia & progreſſus. Quid ergo ſibi voluit Apoſtolus quum dixit, *Quicumque ex Deo natus eſt non peccat, vel non facit peccatum?* Facere aliquid is vulgò dicitur, qui ex more & conſuetudine aliquid agit, & non vitat ejus generis actiones. Non facere aliquid dicitur, qui vitat illud & conſultò abſtinet. Ergo hac dicendi formulâ, facere peccatum eſt non vitare peccatum, ſed quotieſcumque occaſio ſeſe offert, ex more & conſuetudine illud ſine offensâ patrare. Rurſum, ex oppoſito, Non facere peccatum, eſt a peccato abſtinere, fugere peccatum, vitare illud, *mundare ſemetipſum*, veru 3. *facere juſtitiam* verſu 7. Indicat ergo Ioannes quid facere ſoleant pij, quidque ratione natiuitatis ſuæ debeant, & quid per gratiam ſibi conceſſam poſſint. Qui natus eſt ex Deo, inquit, non peccat; neque poteſt peccare, eo quod ex Deo natus eſt. Talia hæc ſunt. Pſal. CXIX.3. *Qui in via Deï ambulant, non operantur iniquitatem.* Eccleſ. VIII.5. *Qui cuſtodit præceptum, non cognoſcit rem malam.* Quid ſi verò quis deſerat viam Deï, nec cuſtodiat præceptum, ſed degeneret a natiuitate ſuâ, & ſemen Deï ejiciat, fiatque temporarius? Talem neceſſe eſt peccare: nam vt principium peccandi habuit a ſe, non peccandi

a gratia: ita, ſi gratiam deſerat, redit ad ſe, fitque extin-ctâ luce tenebroſus, & mancipium peccati. Eſt igitur ſententia, Sancti habent in ſe ſemen gratiæ, quod tantiſper in ipſis manet, quantiſper ipſi illud fouent. Quantiſper verò illud fouent, non peccant, imò vitant peccatum. Quotieſcumque igitur ad peccandum ſollicitantur, ſi tunc ſpiritum illum cum omni panopliâ fideî in auxilium aduocent aduerſus carnem, mundum, Diabolum, nunquam vincentur, nunquam ſuccumbent, imò nec vinci poterũt. Fortior enim eſt qui eſt in ipſis. Quod ſi verò officium negligant, ſi præſidium ſuum deſerant; ſuccumbet non ſpiritus, ſed ſpiritualis: non fides, ſed credens: non Deus ſed homo: atque in grauioribus quidem delictis valebit querela illa Deî, *Me dereliquerunt ſcaturiginem aquarum perennium, & foderunt ſibi ciſternas fractas, quæ non capiunt aquas.* Hoc ergo modo quadrabit concinuè argumentum Apoſtoli Ioannis cum Theoremate practico. Dices. Exſertè poſitum a Ioanne, *Non poteſt peccare.* Rectè. Non poteſt, quia hoc agens non poteſt. Eſt ergò fallacia παρὰ τὸ πῆ ὡς ἁπλῶς λεγόμενον, quia id quod cum limitatione capiendum eſt, ſumitur ac ſi ſimpliciter poſitum foret. Vt ſi dicas, *Non poteſt peccare ſi agat ſecundum genituram ſuam*: Ergo *non poteſt peccare ſimpliciter.* Sic, Arbor bona non poteſt ferre fructus malos: nempe ſi maneat bona: quod ſi verò degeneret, feret fructus malos: poſſe autem ex arbore bona fieri malam, jam ante demonſtratum eſt. Rectè hoc intellexit Auguſtinus, quũ, vt homo nõ peccet, oſtendit fieri ex charitate. *Secundum iſtam charitatem melius intelligitur dictum, Qui natus eſt ex Deo non peccat, & non poteſt peccare, quia charitas ſecun-*

dum quam natus ex Deo eſt, non agit perperam, nec cogitat malum. Quum ergo peccat homo, non ſecundum charitatem, ſed ſecundum cupiditatem peccat, ſecundum quam non eſt natus ex Deo, quoniam illa poſſibilitas (vt dictum eſt) vtriuſque radicis eſt capax. Sed nihil eſt euidentius accurato veroborum B. Ioannis examine. Ille ergo jam inde a verſu tertio, oſtenſurus, Chriſtianos, quique ſpem habent vitæ & gloriæ æternæ debere mundare ſeipſos, hoc eſt ſanctè viuere & non peccare, variis ad hanc rē vtitur argumentis 1 quia Deus ſanctus & purus eſt. *Omnis qui habet ſpem iſtam in illo, mundat ſemetipſum, ſicut & ipſe mundus eſt.* 2 quia peccatum eſt ἀνομία, Chriſtianus autem non eſt exlex. *Omnis qui facit peccatum, etiam ἀνομίαν facit, eſt enim peccatum ἀνομία.* 3 Quia Chriſtus non venit vt nobis commeatū peccandi daret, ſed vt peccatū tolleret. *Scitis ipſum reuelatum eſſe, vt peccata noſtra tolleret.* 4 Quia Chriſtus expers eſt peccati, eſt autē par vt nos Chriſtum ſequamur. *Peccatum in ipſo non eſt.* 5 Quia debent manere in Chriſto. *Omnis qui manet in Chriſto non peccat.* 6 Quia notitia Chriſti non eſt contemplatiua, ſed practica. *Quicumque peccat non vidit ipſum, neque nouit ipſum.* 7 Quia debent per juſtitiā Chriſto ſimiles eſſe non autem Diabolo per peccatum. *Filioli, nemo decipiat ſemetipſum, Qui facit juſtitiam, juſtus eſt, ſicut ipſe juſtus eſt; qui facit peccatum eſt ex Diabolo, quia ab initio Diabolus peccat.* 8 Coincidit cum tertio. *In hoc reuelatus eſt filius Dei, vt tollat opera Diaboli.* 9. Quia nati ſunt ex Deo & ſemen ejus manet in ipſis. *Omnis qui natus eſt ex Deo, non facit peccatum: quia ſemen ejus in ipſo manet, ac non poteſt peccare, quia ex Deo natus eſt.* 10 Quia hoc ſolo diſtant pij ab impiis. *In hoc manifeſti ſunt filij Dei, & filij Diaboli.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
86 H 16

Eſt ergo nonum argumentum Apoſtoli ejuſmodi.

Qui natus eſt ex Deo non facit peccatum, Sancti nati ſunt ex Deo, Ergo non faciunt peccatum. Probatur major.

In quo manet ſemen Deï, is non facit peccatum,

Qui natus eſt ex Deo, in eo manet ſemen Deï, Ergo.

Eadem poſterioris membri ratio eſt.

Qui natus eſt ex Deo non poteſt peccare, Sancti nati ſunt ex Deo, Ergo.

Supereſt OBIECTIO vna. Si, vt hactenus diſputatum eſt, juſtus gratia poteſt excidere, nemo erit certus de ſuâ ſalute: & quia ſemper ſancti poſſunt excidere, nunquam erunt certi. Itaque nutabunt ſemper, ſemper arundinis inſtar vacillabunt.

RESPONSIO. Certitudo animi debet niti rei ipſius certitudine: nam ſi animus rem incertam pro certâ, vel certam pro incertâ apprehendat, errabit, eritq; in tali conceptu falſum. Porrò ſalus noſtra non eſt ens quoddam abſolutè certum, hoc eſt, ejuſmodi, vt de ſingularibus quibuſdam citra omnem limitationem aut condicionem debeat prædicari: puta hoc modo, Petrũ, Ioannem, Paulum, ſaluari neceſſe eſt: ſed eſt Ens certum cum condicione, hoc modo, Petrum Ioannem, Paulũ, ſaluari neceſſe eſt, ſi crediderint, ſi in fide, dilectione, ſanctimonia perſtiterint.

Perſpicuum id eſt ex formâ fœderis, quæ non ita ſonat, Hunc, illum diſtrictè ſaluabo, ſed ſic, *Quicumque crediderit ſaluabitur: qui verò non crediderit, condemnabitur.* Sed in fœdere Euangelico, Deus, qui condicionem illam poterat relinquere ſeorſim noſtris viribus præſtandam, ſciens noſtram infirmitatem, promiſit ſe

nobis adfuturum eſſe, & gratiam ſuam multiformem daturum. Ille igitur nos ipſe præuenit: ille idem, ſi priorem gratiam apprehendamus, comitatur & adſiſtit: idē denique officium facientes ad finem perducit, neque deſerit. Ex quo apparet, ad ſalutem conſequendam duplici actu opus eſſe, Deï inquam & noſtro. Neque verò metuendum eſt, ne Dei gloriæ aliquid decedat, quū dicimus, nos quoque agere: niſi quis fortè exiſtimet, Deo glorioſum eſſe, vt ille ſit omnia, agatque omnia; neque quicquam in rerum naturâ ſit præter Deum, aut fiat aliquid quod non agat Deus. Atqui ingens bonitatis & ſapientiæ diuinæ argumentum eſt iſta Entium agētiumque diuerſitas, quæ vt a Deo primo Ente fluxit, ita ab eodem perpetuò adhuc dependet. Neceſſe eſt igitur in ſalutis negotio duo concurrant: Deus, inquam, & homo. Nam ſi vel hominem deſerat Deus, vel Deum deſerat homo, ſeruari homo nullo modo poteſt. Amos III. 3. *An duo ambulaturi eſſent vnà, niſi conuenirent?* Fruſtrà exſpectat vitæ æternæ præmium: qui officium ſuum ipſe negligit. Et vbi nulla eſt rei certitudo, quid nos nobis animi certitudinem pollicemur? Crede: ſi credis, certus es. Sed poſſum cadere, inquis, Ergo non poſſum eſſe certus. Imò ſi potes cadere, non jam es incertus, ſed potes fieri incertus. Sta igitur in fide, & perſta. Fides nihil eſt aliud quam certitudo de ſalute: qui fidem ſeruat, ſeruat illam certitudinem: qui excutit, amittit: Neque verò certitudinem duntaxat amittit, ſed & ſalutem ipſam, quum ſine fide ſalus non obtineatur, vanaq; ſit & vmbratilis omnis cognitionis certitudo ſublato extra animum rei ipſius fundamento. Quam verò

tu cer-

tu certitudinem poſtulas? vt Deus tibi obſtrictus ſit, tu Deo non ſis? vt tibi peccare liceat, illi te abjicere non liceat? Vis eſſe certus de ſalute tuâ, & licentiam tibi facere peccandi? Erras. Cura primùm ſalutem tuam: re ſaluâ, certitudo tibi conſtabit: nam vt fidem ſeruare officij eſt, ita non eſt conveniens, vt de ſalute certus ſit, qui fidem & Sp. ſanctum excuſſerit. Abi igitur, & quum certus ſis, Deum tibi bona ſua non eſſe erepturum, examina ipſe te, excute animum tuum; exſtimula te quantum potes, & vide vt propoſitum ſerues: non enim mutaberis, niſi a te, per te, tua culpâ vitioque: Deus te ex fideli & juſto non faciet infidelem & injuſtum. Propone tibi B. Paulum, cujus verba ad Philip. III. 9. ſunt illuſtria. *Ego omnia pro excrementis duco, vt Chriſtum lucrifaciam, & inueniar in ipſo non habens meam juſtitiam quæ eſt Legis, ſed eam quæ eſt per fidem Chriſti, juſtitiam inquam ex Deo per fidem. Vt cognoſcam eum, & vim reſurrectionis ejus, communionem perpeſſionum ejus, dum conformis fio morti ejus. Si quo modo pertingam ad reſurrectionem quæ eſt ex mortuis. Non quod jam metam apprehenderim, aut jam ſim conſummatus, ſed perſequor ſi quo modo apprehendam, ob quod etiam apprehenſus ſum a Chriſto Jeſu.* Videſne vt Apoſtolus ex conſideratione præcellentis illius gloriæ, ſuæque imbecillitatis conſcientiâ, & recordatione antecedentium ſuorum peccatorum, ipſius quoque reî difficultate, humiliter de ſe loquatur? Quaſi dicat, Adhuc mihi vita in certamine verſatur: adhuc a metâ longè abſum: adhuc a brabiis diſto: adhuc curro, adhuc ſector. Quod ſi Paulus tantus ſectator, ac tanta paſſus, adhuc inquit, *ſi quo modo comprehendam*, quid dicemus nos? quid dicet apoſtata fideî officijque ſui deſertor?

 Enim-

Enimuerò (vt loquitur B. Petrus 1.4. cap. IV.18) *Si juſtus vix ſeruabitur, impius & peccator vbi comparebit?*

Vnde igitur erit certitudo? Ex Syllogiſmo, cujus major conſtet Dei voluntate, Chriſti merito, & pro nobis interceſſione; Minor officij facti conſcientiâ ſecundum Euangelium: Concluſio verò illatione ex præcedentibus deductâ, & per teſtificationem Sp. Sancti confirmatâ, hoc modo. *Quiſquis pœnitentia ductus peccatorum ſuorum credit in Chriſtum, juſtificatur a Deo, eritque vitæ hæres; Ego peccatorum meorum ducor conſcientia & credo in Chriſtum; Ego igitur juſtificor a Deo, eróque hæres vitæ æternæ.* Major reſpectu Dei legitur Ezech. XXXIII. 11. *Ne viuam ego, dictum Jehoui, ſi delector morte improbi, ſed delector vt convertatur & viuat.* Reſpectu Chriſti, ad Hebr. IX.13. *Si ſanguis taurorum & hircorum ſanctificat ad carnis puritatem, quanto magis ſanguis Chriſti emundabit conſcientiam veſtram ab operibus mortuis ad colendum Deum viuum.* Minoris ſubſumtione opus eſſe, apparet ex 2. Cor. XIII. 5. *Voſipſos tentate an ſitis in fide, voſipſos explorate. Annon cognoſcitis voſmetipſos, Jeſum Chriſtum in vobis eſſe? niſi reprobi iſtis.* Concluſio ex ſuperioribus ſequitur, & fidem gignit, quæ etiam poſteà a Sp. ſancto abſignatur. Epheſ. 1.3. *Vos per Euangelium poſteaquam credidiſtis obſignati eſtis ſpiritu illo promiſſionis ſancto.* Atque idcircò Sp. S. vocatur arrhabo hæreditatis noſtræ. Qui verò ita adfecti ſunt, inque eo ſtudio perſeuerant, eos impoſſibile eſt non ſaluari. Habent enim pro ſe Deum Patrem, habent Filium, habent Sp. Sanctum, habent Euangelium, habent conſcientiam ſuam. Sciunt Chriſtum pro ipſis orare, & nullã rem poſſe ipſos a Dei dilectione auellere aut è manibus Chri-

Chriſti extorquere? Porrò qui certitudinem iſtam & hanc concludendi ac ſciendi rationem putant petitam eſſe a poſteriore, videntur mihi omninò neſcire quid ſit a priore. Quid enim prius eſſe poteſt voluntate Dei, nō tantum in notitia noſtâ, ſed etiam in re & ordine cauſarum? At hæc conſtituit propoſitionem majorem, continetque decretum æternum electionis: cui opponitur aliud reprobationis, *Quiſquis non crediderit, neque peccatorum ſuorem pœnitentia ductus fuerit, hoc eſt, quiſquis Chriſtum ſpreuerit, condemnabitur.* Sed fortaſſe exiſtimabit aliquis majorem ſecundum decretum ita concipi oportere, *Quiſquis eſt electus ad vitam æternam credet.* Atqui hoc eſt invertere vocem Euangelij: quæ non dicit, *Quiſquis ſaluabitur credet, ſed Quiſquis crediderit, ſaluabitur.* Deinde ex tali majore nunquam fiet Syllogiſmus colligens certitudinem ſalutis. Hærebit enim minor. Verbi cauſsâ,

Quiſquis electus eſt, credet & ſaluabitur,
Ego ſum electus, Ergo.

Dic ſodes diſputator, vnde tibi conſtet minoris veritas, quum conſilio Dei non interfueris? Quis tibi arcanum iſtud reuelauit, te, antequam eſſes, imò antequam mundus eſſet, priuſquam decretum eſſet, Chriſtū mittendum eſſe, cruci figendum, in cælos adſumendum, te inquam electum eſſe ad vitam æternam? Dices conſtare id tibi ex teſtimonio Sp. ſancti. Atqui hic non obſignat in particulari niſi ea quæ ſcriptura dicit vniverſaliter. Quod ſi igitur ex ſcripturis, hoc eſt, ex voluntate Dei patefacta & fœderis formulâ, & merito Chriſti peti debet certitudo; nempe igitur, præſtabat eò directè ire, vnde initiò receſſum fuit cum magnâ veritatis jacturâ.

CON-

CONCLVSIO

Continens Meditationem Practicam totius ſuperioris doctrinæ.

AGe nunc ſalutis funambule, quiſquis es, qui tenuiſſimum filum vocationis diuinæ lapſabundo gradu inſiſtens, carnem ſpiritu Chriſti libras, animam fide fulcis, oculum lege temperas, non aliter ad ſalutem æternam & patentes beatitudinis campos tranſmittende. Scis quam arctam viam calces, quam pauci per eam incedant, quam multi vel oſtenſam fugiant, vel preſſam ſemel ſuo malo deſerant, quum tamẽ vocentur omnes, nec quiſquam a principali hoc munere excludatur, niſi qui ſeipſum nolendo auerſandoque excludit. Tanta eſt Deï in Chriſto benignitas. Tibi præ multis alijs datum eſt Deum nôſſe, & arrhabonem ſpiritus Chriſti habere intra te. Fruere iſtis bonis, & quod reliquum eſt viæ vitæque firmo ac conſtanti propoſito decurre. Neque te ab inſtituto deterreat ingens iſta turba vel profanè, vel ſecurè agentium. Aliud iſti vocantur, aliud ſunt: ſpiritum profitentur, & carnis opera faciunt. Quid proderit iſtis vocatio Dei gratioſa, quid auguſtum Chriſti nomẽ, quum titulo vita non reſpondeat? Porrò manifeſta ſunt ex Apoſtolo opera carnis, *Adulterium, ſcortatio, impuritas, laſciuia, idololatria, veneficium, inimicitiæ, lites, excandeſcentiæ, rixæ, diſſidia, hæreſes, inuidiæ, cædes, ebrietates, comeſſationes, & his ſimilia, quæ qui patrant, regni Deï hæredes futuri non ſunt.* Ab iſtis ſeſe auertat, quiſquis inuocat nomen Ieſu. Aude nunc, ſi qua te carnis vacillatio, ſiqua animi auocatio, ſiqua voluptatis illecebra,

cebra, ſiqua mali formido de gradu nitatur reuocare, aude, inquam, vel tranſuerſum vnguem de lineâ. Aude tecum dicere, Bonus eſt Dominus & clemens, & plenus miſerationum; non excidam gratiâ ſi peccauero: non excludar ſi Chriſtum abnegauero: quinimò ſi abnegauero, retrahar reſtituarque in integrum, neque finaliter derelinquar. Ergone tibi vocatio iſta ſancta commeatū dabit ad delinquentiam? quumque ſanus factus ſis, repetes venenū, etiā de grauiore ſupplicio ſecurus? Scilicet tu firmius ſtas, quam vel Paulus, vel Dauid? Quin audi potius Apoſtolum, *Fidelis eſt Deus: ſi nos illum abnegauerimus, etiam ille abnegabit nos.* Vide, vt ille, ne de tua imaginaria perſeuerantia quicquā tibi præſumeres, ſe quoq; eidem periculo incluſerit. *Si Nos* (inquit) *illum abnegauerimus, etiam ille abnegabit Nos.* Quum Paulus fateatur, fieri poſſe, vt Deus ipſum abneget, tu credes te abnegari nullo poſſe? Nempe quia electus es. Si tu Deum elegiſſes, haberes illum tibi obnoxium, ipſe enim Deo legem poſuiſſes. Atqui non tu elegiſti Deum, ſed Deus te, qui etiam legem tibi electionis fixit. Eam ſerua. Niſi feceris, actū eſt & quia tu non auſcultaſti voci Deî, etiam ille nō auſcultabit voci tuæ, ſed irritū faciet fœdus quod pepigerat tecum. Sanctus Dauid in tranquillitate ſua ſeptus vndique cinctuſque bonis, dixit, *Non dimouebor in ſeculum.* At illi ſupina iſta ſecuritas principium ingentis mali fuit: deſiit enim ſimul & timere, & orare. Ergo domum illam ita vacuam & purgatam adgreſſus eſt Satan, permittente id Deo, & faciem ſuam juſto judicio abſcondente. Quid ergo? deſertus peccauit. Secuta eſt peccatum ſententia mortis. Hâc ille conturbatus eſt:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
86 H 16

quumque videret ſe ſpiritualibus illis bonis & ſenſu favoris diuini orbatum, meritò ingemuit. Minima erant illa quæ ab hominibus vulgò cenſentur in malis ignominia, & infamia publica, deſpectus ciuium, riſus hoſtiũ, quæ ipſi tãtò fuerant grauiora, quãto rex alijs omnibus antecellit. Exagitabat ipſum malorum conſcientia. Peccatum coram ipſo erat ſemper: ſentiebat iratum Deum, cujus interdiu & noctu grauis erat ſuper ipſum manus. Itaq; inueteraſcebãt oſſa ejus, & humor vitalis cõuertebatur in ſiccitates æſtiuas; denique æterni ſupplicij cruciatũ jam animo præſentiebat. Dicebat igitur, *Excisus ſum a conſpectu oculorũ tuorum.* Ecce, inquas anguſtias Prophetam ſecuritas abduxit. Et tamen; Receptus eſt, inquis, in gratiam; recipiar & ego. Imò longe aliter Propheta. Ille, & ante peccatum ſciuit crediditque homicidas & adulteros puniendos a Deo: & poſt peccatum reum ſe mortis confeſſus eſt: neq; ante de fauore diuino erga ſe quicquam certi habuit, quam Prophetæ voce erectus, precibus & ſeriâ pœnitentiâ veniam delicti poſtulâſſet: Tu etiam priuſquam pecces, etiam antequam deliberes, antequam ſtatuas, antequam peccatum aggrediaris certus eſſe cupis, te ob peccatum quod commiſſurus es, a Deo rejiciendum non eſſe? Non fiet. Sed velis tamen certus eſſe. Credo: vt autem hoc breuiſſimo cõpendio adſequare, deſere peccata priora, abſtine a deſiderijs quæ militant aduerſus Spiritum, poſtea crede in Chriſtum, confide Deo, & time. Nam ſi fidem non retinueris, ſi promiſſiones Deï minaſq; contemſeris, ſi non ad regulã vixeris, opido quantus quãtus es, perijſti: Abjice igitur languorem & torporem: caue quicquam moliaris contra

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
86 H 16

tra conſcientiam. Ne ſegneſcito bene faciendo. Ne frangitor animo,ſed per tolerantiam propoſitũ tibi ſtadium decurre.Erige, per Chriſtum immortalem, remiſſas manus, & genua labantia ſurrigito. Fac rectas orbitas pedibus tuis, ne deflectas claudicans a viâ, dificiaſq; a gratia Deï. Ne neglige occaſionem oblatam. Hodie ſi vocem Domini audiueris, noli indurare cor tuum. Dum lucem habes,ambula in luce. Scito, tempus fore, quum multi occaſionem hanc quam nunc ſpernunt, exoptabunt. Tu illorum exitu cautior, fruere præſentibus. Ecce nunc tempus acceptum, Ecce, nunc dies ſalutis. Nunc tibi vel ſuccumbendum eſt, vel vincendum. Quumque incertum ſit, quando hinc aliò euocandus ſis, ac propterea quilibet dies pro vltimo tibi eſſe debeat, fac talem te quotidie Deus offendat, qualis extremo articulo voles juveniri.

FINIS.

VNVM EXPETII A DOMINO.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
86 H 16

OMISSA.

Pag. 3. lin. 5. adde. Subjectum igtur Problematis eſto ſanctus, credens, juſtus, regenitus, & quidē verè talis: Adfectio quæſita, Deficere, fidem abnegare, deſerere juſtitiam priorem, non perſeuerare, non permanere. Ex his junctis efficitur Problema: An ſancti poſsint deficere. Theorema: Sanctos poſſe deficere. Titulus, DE SANCTORVM DEFECTIONE:

Pag. 7. l. 16. adde. Ioan. XVI. Philip. 1. 6. 2. Tim. II. 13. 1. Cor. 1. 9.

Pag. 24. lin. vltimâ, adde.

III Peccata ſunt duplicia, alia ex præcipiti motu fiunt, alia deliberato animo, ſiue quis putet ſe benè facere, ſiue ſciat ſe malè facere,

Sunt ergo peccata ſi externas formas numeres, triplicia. 1 Ex præcipiti motu, nondum adhibita in deliberationem vel ratione vel ſpiritu: atque iſtius generis peccata dicuntur προλήψεις, quia anteuertitur homo atque præoccupatur ab appetitu inferiore priuſquam ſeſe ad certamen comparauerit. Tale fuit peccatum B. Petri; qui quum nihil minus haberet propoſitum quam Dominum ſuum abnegare, tamen abnegauit. De hoc genere loquitur Apoſtolus ad Gal. VI. 1. *Fratres, etiamſi præoccupatus fuerit homo in aliquo offenſo* ἐὰν καὶ προληφθῇ ἄνθρωπος ἔν τινι παραπτώματι, *vos ſpirituales juſtaurate hujuſmodi hominem cum ſpiritu manſuetudi-*

tudi-

tudinis : conſiderans temetipſum, ne & tu tenteris. In hoc peccatorum genere non poteſt adhuc plena poni apoſtaſia: ſeruatur enim ſpiritus, & ratio; reditq; homo ad ſe, imprimis ſuſtentatus fraternâ aliorum conſolatione. Negari tamen non poteſt, quin gradus ſit ad majora & grauiora delicta, ſi quis ſpirituum non audiat. 11 Ex ignorantia mediorum. Nam quum ad finem bonum non ſit contendendum niſi per media bona, fit interterdum vt quod quis pro bono eligit, bonum tamen Deoque gratum non ſit, eoque fine ſuo excidat. Ad tunc zelus quidē laudandus eſt & intentio animi, ſed præelectio deſtituitur ſcientiâ; quo fit, vt aberrantes a viâ ſcopū nō attingant, votoq; excidant. Hoc genus peccati peccauerunt Iudæi, qui volebant quidem ſaluari & juſtificari, ſed per opera legis; quum Deus humanæ infirmitatis cōſcius viam legis iudicaſſet impoſſibilē, præſcripſiſſetq; ideò legē fideï. Idcircò Paulus ad Rō.x.2. teſtatur, Iudæos *zelum Deï quidē habere ſed non ſecundum ſcientiam, quandoquidem ignorantes juſtitiam Deï* (quæ eſt per fidem) *propriam juſtitiam* (quæ legis eſt) *ſtudentes conſtituere, juſtitiæ Deï non fuerunt ſubjecti*, ſed illa exciderunt. Eodem quoque modo peccauit ante conuerſionem B. Paulus: nam quū acerrimus eſſet zelotes patriarum traditionum Gal.1.3. inſtitutus ad exquiſitam formam patriæ legis, zeloque inſuper Deï accenſus Actor.xxii.4. neſciretque adhuc Ieſum eſſe illum Chriſtum, ſed illum pro impoſtore haberet & plano: diſcipulos

ejus pro ſeductoribus & factioſis Reip. & Eccleſię perturbatoribus, perſequebatur infeſto animo omnes Chriſtum profeſſos, vinciens ac tradens in carcerem tam viros quam mulieres, cogens etiam ipſos blaſphemare Actor. xxxvi. 11. Atque hæc omnia fecit ἐν ἀπιστίᾳ, ignorans. 1. Tim. 1. 13. ac propterea zelo quidem bono, ſed non ſecudũ ſcientiam: proinde etiã nec contrà conſcientiã. Edoctus verò, cum ſcientia mutauit ſtudium, cœpitque eodẽ, imò etiam flrgrantiore zelo, illum adorare & cum capitis diſcrimine profiteri, quem anteà fuerat perſequutus. III Tertium genus eſt contra conſcientiam, quum quis deliberato animo, ſciens volenſque, in facti alicujus ſingularis ſpecie, non illud agit quod ratio aut ſpiritus jubet, ſed ſponte ſuâ ſuccumbit deſiderijs carnis, patiturque ſe ab illis ſuperari. Tale fuit peccatum Caini, Iudæ, Dauidis, Salomonis. Tale fuiſſet B. Pauli, ſi poſt conuerſionem perſequutus fuiſſet Chriſtianos, coëgiſſetque ipſos Dominũ blaſphemare. Debent autem ſancti intenti in omnes partes cauere ne inopinato rerum humanarum lenocinio a rectæ rationis ſtatu moneantur, atque ita vitabunt ſubitas προλήψεις. Debent ijdem examinare, an quum propoſito bono ferantur ad finem, ipſa quoque media quæ ſequuntur, a Deo præſcripta ſint. Debent denique ita purgare conſcientiã ſuam ab operibus mortuis, vt nihil contra illam agant.

Pag. 54. lin. penult. inſere hæc,

6 Si

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
86 H 16

6 Si juſtus non auerterit ſe a juſtitiâ ſuâ non morietur. *Hæc jungit partes negatiuè, & debet ex ſuperiore elici. Hujus Canon moralis eſt, Iuſtus dignus eſt vita.*

COMMISSA.

Benigne lector. In litterâ vel interpunctione forte alicubi aberratum: quæ quum intentioné tuam non morentur, vix duxi obſeruanda; fugiunt enim talia vel oculatiſsimos; & quum omnia collegeris, nihil feceris operæ pretij. Hæc tamen emendari velim.

Pag. 5. lin. 13. Deï. Pag. 9. l. 13. interſere vocem Pſalmo. Pag. 10. lin. 8. pro fidelis lege qui credit, vel credens. Pag. 24. lin. 11. pro XI. repone X. Pag. 30. lin. 12. deſerere. Pag. 31. lin. 12. participes. Pag. 56. lin. 8. charitatis. Pag. 63. lin. vlt. expungatur nota interrogationis. Pag. 69. lin. 20. Laborioſæ ſunt mihi. Pag. 84. lin. 18. pro benè, repone malè. Hæc ſunt præcipua. Vale in Domino, & fruere iſtis ad gloriam Deï.

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
86 H 16

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
86 H 16

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
86 H 16

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
86 H 16

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
86 H 16